
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY





QUAESTIONUM TERENTIANARUM
LIBER PRIOR.


De Terentiano verbi substantivi usu ita agitur, ut generalis quae ad ellipsin huius verbi pertinet quaestio accurate tractetur.

Commentationem conscripsit

EDUARDUS BAUMANN.

WISSENSCHAFTLICHE BEILAGE ZUM JAHRESBERICHT DES GR. REAL-GYMNASIUMS ZU MANNHEIM FÜR DAS SCHULJAHR 1889/90.

MANNHEIM.
Druck von Wendling Dr. Haas & Co.
1890.


HARVARD COLLEGE
OCT 18 1901
LIBRARY

Pars prior.

De ea quaestione, quam mihi in hac commentatione tractandam proposui, Ritschelius olim[1]), quantum quidem res ad Plautum pertinet, ita iudicavit, quo sermone Plautus uteretur ad vitae usum communem composito, ab eo et »es« et »est« verbi omissionem, cum a poetis tum a scriptoribus frequentatam sciendum esse omnino alienam nec nisi rarissimis condicionibus probatam esse. At tamen in hoc sospitatoris, quem dicunt, Plauti iudicio homines docti non prorsus conquiescere potuerunt, atque primus exstitit Bergkius adversarius, qui hanc legem veram esse omnino negavit[2]). Respondit Ritschelius[3]) neque Bergkius tacuit, sed iterum eius sententiam impugnavit[4]). Mediam quandam viam secutus est Brixius,[5]) qui re identidem perpensa cautius iudicavit „ut summam legis in dubitationem vocari non posse, ita admissas exceptiones nimis in exiguum angustumque ab observatore conclusas esse.“ Etiam Holtze[6]) ex parte quidem nimium Ritschelium contendisse censuit. Sed ut omittam, quae occasione data dispersis locis alii vv. docti de hac re protulerunt, iam nomino Olsenum, qui rursus in hanc rem diligenter inquirens conscripsit dissertationem,[7]) qua contra sententiam usque a Ritschelio satis vulgatam demonstrare studet adeo non alienam esse verbi subst. omissionem a sermone familiari ac cotidiano, qualis sit Plautinus, ut potius sat amplis finibus circumscripta sit. De hac dissertatione egit O. Seyffert[8]) neque iniquus exstitit criticus. Quae bene quaeve minus bene vel falso disputata sint, recte, ni fallor, ab eo docemur, ita ut satis habeam ad locum infra adscriptum adlegasse.[9])

Iam vero fieri nequit, quin, priusquam ad rem mihi propositam transeam, in ea, quae Olsenus effecisse sibi videtur, paullo accuratius inquiram, quod eo magis instituendum est, quia ille iam Terentii maximam partem locorum, qui ad hanc quaestionem pertinent, tractavit; ceterum ea, quae iam hic in universum de summa rei disseremus, postea, ubi ad singulas res transgressi erimus, breviorem atque concisiorem reddent nostram disputationem.

Incipit Ols. ab omissione secundae sing. pers. observanda, atque in hac potissimum parte acerrime vulgatam sententiam impugnat. Notissima sunt illa Ritschelii verba:[10]) „Et alterius quidem personae exempla negotium nusquam facessunt, ut quibus exigui circuli adiectione »es« ubique nulla opera restituatur“. Qua usus ratione Ritschelius, cum et »est«

---

[1]) Prolegg. pag. CIX sqq.

[2]) Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft. 1850 = Opusc. I p.45 sq.

[3]) Mus. Rhen. VII, pag. 599 sqq. = Opusc. II p. 608 sqq.

[4]) Zeitschrift für d. A. 1851 = Opusc. I p. 87 sq.

[5]) Progamm des Gymnasiums zu Hirschberg 1854.

[6]) Syntaxis prisc. lat. script. II, pag. 4.

[7]) Quaestionum Plautinarum de verbo substantivo specimen.

[8]) Jahresbericht für class. Philologie XLVII, pag. 52 sqq.

[9]) Hoc loco mihi pauca de mea liceat commentatione proferre. Conscripsi enim eam iam ante quinquennium, cum etiam in numero sodalium seminarii philol. Heidelb. essem, neque mihi tum emittendae dissertationis data erat facultas. Iam vero facultate oblata, cum, praeterquam quod occasione data singuli rem, de qua agitur, attigerunt, neminem adhuc accuratius in eam inquisivisse vidissem, non dubitavi emittere ea, quae tunc disputavi. Ipsam sententiarum dispositionem non mutavi, singulis quidem passim aliter conformatis, qua in re optime adiutus sum auxilio Fr. Schoelii, praeceptoris mei clarissimi, hic illic suam de singulis locis mecum communicantis sententiam, ita ut quantas maximas possum gratias hoc loco ei agere meum esse existimem.

[10]) Prol. CIX.

et »es« verbi omissionem a Plautino et omnino a cotidiano usu dicendi alienam esse sibi persuasisset, sescentis Plauti locis »— u's« pro tradito »— us« scribendo copulam, quae omissa videbatur, revocare sui negotii putavit. Quod remedium si amplectimur, periculum est, ne nos nostro arbitrio tantum confidentes nimis libidinose omnem modum et finem transgrediamur; quare Brixius in commentatione supra laudata, ut hoc periculum vitaret, alteram sing. pers. caute a disputatione seiungendam censuit. Iam vero Ols. auctoritatem librorum mss. revocare conatus est, cum illam »es« et »us« syllabarum synaloepham unquam exstitisse omnino negaret; quare nullum ex eis locis, quos vv. docti circulo illo donassent, mutandum esse iudicat, quia nunquam in lingua latina »es« et »us« syllabae in unum coalescere potuissent. Itaque factum est, ut Ols. fere centum septuaginta locis Plautinis, ubi Ritschelius aliique vv. dd. »es« post vocem in »— us« desinentem duxerunt intercidisse et illa circuli adiectione revocari debere censuerunt, omissionem »es« verbi ab ipso scriptore admissam esse statueret. Atque ad confirmandam suam rationem ita disputationem instituit, ut unicuique generi verbi »es« omissi exemplorum semper tales locos anteponeret, quibus aliae formae verbi subst. omissae sunt, de quarum omissione, quippe cum tam leni remedio atque »es« versui induci non possent, iam minime liceret dubitare. Praeterea hic illic ex eis scriptoribus, quorum genus dicendi perspicuum sermonis familiaris praebet imaginem,[1]) similia omissionis exempla affert, quibus Plautina probentur. — Omnia sic bene se habere videntur atque non sine aliqua confidentia hac via progredientem sequimur; at tamen in fine quaestionis si summam rei circumspicimus, nescio an nostro iure nos incredulos profiteamur. Iam enim gravissimae dubitationes subeunt animum. Atque primum, quod Ols. contendit eo magis incertam et lubricam ac quam vehementissime impugnandam videri illam »— u's« scribendi rationem, quod vv. dd. ea adhibita effecissent, ut in poesi scaenica lat. iam nullum exstaret exemplum »es« verbi omissi, cum tam saepe et tam audacter ceterae personae verbi subst. omitterentur viris doctis assentientibus, — nonne illius ratione adhibita nova eaque gravior dubitatio exoritur ea re, quod, cum Olseni Plautus refertus sit ac scateat omissionis exemplis, si praedicatum in »— us« terminationem exit, iam, si praedicatum participio vel adiectivo in »— a« terminato efficitur, vereor ne omnes fabulas perscrutatus nullum »es« omissi exemplum reppereris. Hancine rem forte putemus esse factam? — Alia dubitatio exsistit haec. Si accuratius spectamus exempla illa, ubi »es« post ipsum praedicatum in »— a« desinens positum est, pleraque simillime comparata sunt atque ea, in quibus praedicato in »— us« exeunte Ols. ellipsin »es« verbi statuit. Exempla accuratius docebunt, quorsum spectet haec dubitatio. Capt. V, 2. 12 legitur: *Satis facundus es: sed iam fieri dicta q. s.*, ubi, ut versus evadat, »es« cum »— us« syllaba per synaloepham coniungi debet. Haberemus igitur synaloephae exemplum, nisi Ols. contra diceret[2]): „usus Plautinus postulat, ut hic »es« omittatur, sicut in »satis locuti«, »satis iocatus«, »nimis molestus« et in similibus.“ Loci autem, de quibus cogitat, sunt hi: Pseud. I, 3. 19 *Nimis molestus;* Epid. IV, 1. 24 *Inique iniurius*; Men. V, 2. 73 *Jam vero, Menaechme, satis iocatus;* Most. IV, 2. 31 *Puere, nimium delicatus*[3]). His omnibus locis Ols. »es« ab ipso scriptore omissum esse contendit contra Ritschelii aliorumque sententiam. Quid autem, quod legimus probante Olseno: Amph. III, 2. 22 *Nimis verecunda's*; Asin. III, 1. 8 *Satis dicacula's amatrix*; ibid. III, 3. 84 *Nimis bella's atque amabilis*; Epid. IV, 1. 25 sq. *Commode Fabulata's*; Most. I, 3. 20 *Nimis tu quidem stulta's mulier*; ibid. I, 3. 135 *Ornata's satis*; Rud. III, 3. 19 *Ah, desine: nimis inepta's*; Truc. II, 4. 27 *Jam locuta's?* et id genus alia? Deinde Amph. II, 1. 35, in quo versu editores aliquantum recedunt a tradita siriptura, Ols. inprimis Fleckeiseni versum *faciam te hodie proinde ut meritu's* nunquam sibi obtrudi passurum se profitetur, quod iterum haberemus synaloephae illius exemplum. Iam vero, qua tandem ratione tam vehementer ellipsi admissa »ut meritus« scribendum esse contenderit, perspicere nequimus, si contulerimus prorsus similia exempla Asin. I. 3. 8 *ut merita's* et Eun. 750 *ita ut merita's.* Porro Ols. Asin. I, 1. 26

[1]) Praeter fragm. poesis scaen. etiam Terentianae fabulae, Ciceronis epistulae, Horatii satirae, Petronii fragmenta ascita sunt.

[2]) l. l. pag. 49.

[3]) »nimium es del.« Camerarius.

sic scribendo: *Teque obsecro hercle, ut, quae locutus, despuas* ellipsin statuendam esse sibi persuasit; unde autem tam firme hoc sibi persuasit, quandoquidem legimus Pseud. I, 2. 89 *sed quae pacta's non scis solvere* et Truc. II, 2. 7 *Eam quidem hercle tu, quae solita's, comprime!*, ubi etiam »tu« pron. antecedit, neque tamen »es« omissum est? Vide porro Hec. 537 *De hac re quod locuta's olim* . . — Truc. IV, 2. 33 Schoellius »Stultu's« scribit pro tradito »Stultus!« repugnante Olseno, utpote cum Pers. II, 4. 14 *At non sum ita, ut tu gratiis :: Confidens :: Sum hercle vero* legatur, ubi quidem »es« haud probabile inseri posset, ita ut »Confiden's« scriberemus. At primum dicendum est hunc locum non esse aptum, qui ad comparationem vocetur, quia, cum antecedat »incubitatus es«, »Confidens« simpliciter ad plenam locutionem adicitur. Deinde suspicio quaedam movetur his locis: Epid. I, 1. 13 *Scurra's*; Most. I, 3. 37 *Stulta's plane*; Eun. 655 *Temulenta's*; Hec. 753 *Lepida's* etc. Haec sufficiant exempla, quibus perspicuum sit, quam iusta fuerit illa dubitatio. Nonne hoc vel maxime mirum est, quod videmus in omnibus fere eis locis, ubi praedicatum voce in »— us« terminata efficitur, omissionem »es« verbi esse admissam, non autem esse in eis, qui, nisi quod praedicatum voce fem. generis continetur, eiusdem prorsus structurae sunt. Etiamne id forte factum putemus? Quo concesso forti haud scio an aliquid rationis tribuamus oporteat. An quis causam huius facti eam esse contenderit, quod scriptor idcirco saepius ad voces in »— a« terminatas copulam adiunxerit partim ut hiatum vitaret partim ut longam syllabam efficeret. At num revera credamus hac ratione, etsi eam in singulis quibusdam locis valuisse lubenter concedimus, effectum esse, ut omnino iam nullus esset locus »es« omissionis post praedicatum in »— a« terminatum, contra latissime pateret omissio post vocem in »— us« desinentem. Quid quod omnino haud infrequenter copulam voci in »— a« exeunti adiunctam videmus, cum minime ea opus fuerit, qua hiatus evitaretur vel longa syllaba efficeretur. Ceterum hoc monendum videtur; si tam aliena causa et solo studio versus quam elegantissime condendi adductum poetam existimaverimus mox admisisse mox omisisse verbum subst., nonne iam nubes is et inania captatum it, qui de ratione vel de legibus omissionis cogitare velit, quippe quae non tam in condendo versu vel in metri pedibus quam in ipsius sententiae natura ac condicione quaerenda sint? An quo iure tandem quis contenderit in hoc aliove genere dicendi magis minusve locum habere verbi subst. omissionem? —

Restat alia res, ob quam minus probabile fiat Olseni iudicium. Qui »— u's« illud vulgo admissum improbans hic illic exempla contulit, e quibus eluceret ne usitatam quidem fuisse illam normam collocandi, quam vellent vv. dd. statuere. Iam videamus, quantum hoc argumentum valeat. — Ad Hec. 825 Ols. haec profert: „Falso enim sripserunt (Bentl. et Flech.) »quid exanimatu's obsecro?«: nulla causa nos cogit recedere a Bembini auctoritate, nam quam hic praebet collocatio verborum »obsecro es« est usitata neque Terentio eripi debet.“ Jam sequuntur hi loci Terentiani: Eun. 756 et Phorm. 742, Plautini hi: Rud. V, 2. 17; Truc. II, 2. 41; ibid. V, 49, ex quibus sane apparet et Terentio et Plauto usitatam fuisse hanc collocationem »obsecro es«, »obsecro est«, »quaeso es«, »amabo est«; sed non adeo eam usitatam fuisse, ut de alia collocatione cogitare non liceat, unusquisque statim concedet, hos si spectaverit locos: Heaut. 267 *Quid est obsecro?*; Phorm. 990 *Quid istuc turbaest, obsecro?* Heaut. 430 *Ubinamst quaeso?* Alio loco, postquam condentit »es« verbi omissionem concedendam esse his versibus: Poen. I, 2. 39 *Quid molestus?;* ibid. I, 2. 122 *quid mihi molestus obsecro?*; Bacch. IV, 8. 44 *Quid illi molestus?;* Merc. IV 4. 27 *Quid mihi molestus?*; haec affert: „Atque profecto si illis superioribus versibus omnino »es« verbum inserendum esset, tum scribere deberemus potius »mihi es«, »illi es« quam »molestus es«, quod hi loci demonstrant: Men. IV, 2. 60 *Num mihi es irata saltem?* Cap. III, 5. 57 *Quor ergo iratus mihi es?* Pseud. I, 1. 28 *odiosus mihi es* Cap. II, 1. 28 *Nam si erus tu mihi es atque ego esse me tuum* etc.“ Quid vero, quod legimus Poen. I, 1. 10 *Nunc mihi blandidicus es* Bacch. I. 2. 54 *an tu mihi servos es?* Capt. II, 3. 84 *tu mihi nunc erus es* etc. etc. — Ad Pacuv. v. 327, ubi reprehendit, quod Ribb. »ausu's« pro tradito »ausus« scribi vult, Ols. haec asserit: „Verum qui nondum sibi persuasit, in tali enuntiato »ausus« perf. sine »es« a poeta esse scriptum, is id credet, si audiverit, quomodo se habeant illa exempla, quibus »es« traditum est, quia versui est necessarium. Sunt autem collocatione »es ausus« adhibita haec: Capt. III, 5. 46 *Cur es*

ausus mentiri mihi? Mil. V, 9 *Cur es ausus subigitare* ibid. V, 12 *Quare's ausus?* atque Truc. II, 2. 34 *Quia ad foris nostras unguentis uncta es ausa accedere,* ubi »es« ad hiatum tollendum poni debuit. Truc. II, 7. 46 *quor ausa's alium ted amare hoc homine dicere?,* ubi, si »es« ante partic. positum esset, »ausa« prorsus delitesceret, quod acui debet, ut superiora docent exempla et ut sententia postulat. Unum tantum modo restat exemplum Mil. II, 6. 78 *Quin concubinam erilem insimulare ausus es?,* ubi nullo modo potuit poeta scribere »es ausus« „propter ultimum pedem." Primum, ut ostendam hanc normam collocandi usitatam quidem, at tamen non religiosissime esse observatam, hos quaeso conferas locos: Capt. II, 3. 52 *Quom apud hunc confessus es* Rud. I, 2. 54 *Fortasse tu huc vocatus es* etc. etc. Etsi in his exemplis non ipsum »ausus« partic. exhibetur, tamen quare non valeant, non est perspicuum; nam quid habet peculiare »ausus« forma? Apparet sane, quam ob rem in illis quidem Olseni exemplis »es« ante participium positum sit, nimirum ob numerorum commoditatem; nam hic ordo verborum »cur es ausus« tam apte se et iambico et trochaico metro accommodat, ut nescio an ultro poetae se obtulerit. Atqui prorsus aliam habemus condicionem in illo versu, de quo agitur, Pac. 327 *Segregare abs te ausus aut—ingredi?* Iam porro, quae haec est argumentatio, quod Ols. ad exemplum illud Mil. II, 6. 78, quod rationem suam de »es« verbi collocatione impugnat, poetam adnotat propter ultimum pedem »es ausus« nullo modo scribere potuisse. Sane ut nunc quidem verba in versu constituta leguntur, »es ausus« scribere non poterat; sed num ne tunc quidem potuit, cum versum condebat, alia verborum copia ac collocatione usus? Denique quod Ols. ad alterum illud exemplum rationem suam impugnans Truc. 607 commentatus est, id vix cuiquam praeter se ipsum persuaserit; nam quam non debeamus postulare in versibus scaenicorum ut verba sensu pressa versus quoque ictu premantur, etsi Bentl. olim summo cum studio flagitaverat, nunc cum maxime cognitum est; exstant enim sat multi loci, qui contra probent; cf. exempli gratia Heaut. 880, ubi »tuo«; Phorm. 542, ubi »tu«; ibid. 544 et Andr. 179,[1]) ubi »nunc«, quae verba sensu vel maxime premuntur, in versu prorsus delitescunt.

Iam ex his, quae adhuc protuli — possunt etiam plura afferri — satis confido unumquemque haud multum valere Olseni argumenta ex collocatione verborum petita concessurum esse, quippe cum semper ea tantum enumerentur exempla, quae sint pro re, neglegantur autem, quae contra rem faciant. Sed videamus alia, quae Olseni sententiam vel gravissimae dubitationi obnoxiam reddere facile intellegimus. Pag. 43 sq. l. l. Ols. eos locos contulit, quibus »es« post »us« syllabam traditur, sed omnes ita comparati sunt, ut syllaba plena versui necessaria sit; nempe ei loci, quibus vv. dd. »es« syllabam non esse necessariam versui statuerunt, quod per synaloepham cum »us« coniuncta in hac syllaba lateat, Olseno iudice remoti sunt. Sunt autem priores illi viginti octo. Iam pag. 56 sq. enumerata videmus ea exempla, in quibus »es« post praedicatum in »— a« terminatum positum est; hoc genus continetur locis triginta uno, qui numerus comparatus cum illo, ubi »es« post »us« additum videmus, cum maxime ingens videtur, si cogitamus, quam multo inferiores partes sint feminarum in colloquio veterum fabularum quam eae, quae viris dari soleant. Atque in omnibus Terentii fabulis non nisi hos septem locos inveni, quibus »es« cum praedicato in »a« terminato coniunctum est: Eun. 615 *temulenta's* ibid. 750 *merita's* ibid. 1017 *mentita's* Phorm. 786 *opitulata's* Hec. 537 *locuta's* ibid. 753 *lepida's* Ad. 394 *sapientia's.* At fortasse quis opposuerit idcirco tam saepe post »— a« copulam positam esse, quod omnino scaenici poetae formas copulae a vocali incipientes post vocales collocare vel maxime adamassent. Quod sane unusquisque concedet,nam causa est manifesta. At rursus hoc concedendum est, quod vel cursim Plauti et Terentii fabulas perlegentibus appareat, et Plauto et Terentio eam, quae est legitima copulae collocatio i. e. post ipsum praedicatum, normam non quidem religiosissime observandam at tamen, ubi facile fieri poterat, adhibendam fuisse. Atque vel obiter in hanc rem intenti cognoscimus studium illud, quo poeta »es« copulam post vocales collocare cupiverit, non tam constans fuisse, quin in universum legitima copulae collocatio

[1]) Speng. ad hunc versum adnotat: „Durch den Sinn betonte Wörter können nichtsdestoweniger in der Thesis stehen. Richtige Deklamation vermittelt hierin ebenso wie bei den deutschen Dichtern."

praevaleret, quod demonstrant loci, quales sunt: Curc. I, 1. 9 *Tute tibi puer es* Poen. III, 5. 40 *Manufesto fur es mihi* Bacch. I, 2. 15 *I, stultior es barbaro Poticio* Trin. IV, 2. 144 *Eho, quaeso an tu is es?* etc. His omnibus locis, quamquam vocabulis alio ordine constitutis occasio data erat »es« post vocalem collocandi, tamen maluit eam poeta post praedicatum in consonantem desinens collocare. Quid quod haud infrequenter eiusmodi loci inveniuntur, ubi ceteris verbis minime mutatis optio data est aliam ac legitimam copulae eligendi collocationem? Quae cum ita sint, nonne iam perquam mirum est, quod in Olseni Plauto post voces in »— us« exeuntes, ut quibus longe frequentissime praedicatum effici soleat, tam raro pro rata parte »es« collocatum invenitur? Nonne videtur Plautus nescio quo timore voces in »— us« desinentes perhorruisse et ideo tam saepe, si verbum in »—us« terminatum praedicati locum obtinet, copulam vel omisisse vel de legitima sede in aliam delegasse, quod eam, cum, ut quidem Ols. iudicat, per synaloepham cum »us« syllaba coniungere nequiret, non sine damno versus ponere vel saltem non eadem sede, qua alias solebat, admittere potuit? Sed num sanae est rationis de tali ratione cogitare? Nonne ut nonnullis locis plena syllaba »es« in versu condendo molesta fuerit, ita aliis necessaria esse poterat? Nonne, si plena syllaba molesta erat, mutilatam formam adhibere poterat? — id ipsum, quod Ols. eum negat potuisse, sed quibus tandem innisus auctoribus? At priusquam de his iudicemus, liceat aliam rem proferre, quae multo magis quam ea, quae adhuc in universum disputavimus, demonstrabit, quemadmodum Olsenum opinio fefellerit. Non enim desunt certa indicia, e quibus revera saepius in tradita lectione »— us« copulam »es« latere luculenter perspicere possis. Atque primum ex ipsis illis testimoniis depromi potest, quae Ols. in suam rem facere sibi persuasit.

Etenim is ad duos Terentianos locos grammaticorum testimonia advocavit, primum ad Andr. 496, ubi Donatus exhibet: „num veritus] Deest »es«, apta ellipsis irascentis“ — alterum ad v. 621 eiusdem fabulae, ubi ipse adnotat: „Priscian.: »quid meritus« pro »quid meruisti«; Serv. in Verg. Aen. XI, 179: »quid meritus?«] huic dicto responsum est »crucem«. Miratur Ols. hos testes ante sese neminem curasse; at ipse, ubi copulam exhibent contra suam rationem, non magis curavit! Recte autem vv. dd. fecerunt, qui illis testimoniis haud magnam habuerint fidem. Namque primum dicendum est, quae sit rei condicio, non maiorem illa posse habere auctoritatem quam ipsam librorum memoriam; nam apparet iam illos grammaticos singulis locis, num in »us« syllaba, qualem in exemplari suo legerunt, copula lateret, diiudicare non potuisse. Neque desunt alia, quae contra illa testimonia valeant. Eum enim, quem Ols. ex Prisciano laudavit, locum adeo non ellipsin verbi subst. demonstrare, ut apertissime ipsum Priscianum illo Andriae loco copulam legisse vel »—us« terminationem »us es« intellexisse doceat, firmissime mihi persuasi. Quod unusquisque concedet, ubi mecum accuratius Prisciani verba perspexerit. Dicit enim inst. XVIII 201 p. 304, 19 K.: „Participia pro verbis ponunt Attici, dquo frequenter faciunt Latini — Phroenichus: Ὦ φίλταϑ᾽ ἀνδρῶν, μὴ μ᾽ἀτιμάσας γένῃ pro μή με ἀτιμάσῃς. Terentius in Andria: »Quid meritus?« pro »quid meruisti?« Hoc Romani faciunt in omnium passivorum et deponentium et communium praeteritis, per quae participiis utuntur pro verbo **adiungentes verbum subst.; frequenter tamen et per ellipsin eius per se participia loco verborum funguntur**, ut Verg. in I. Aeneidos:

Certe hinc Romanos olim volventibus annis
Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni dicione tenerent,
Pollicitus,

Deest »es«. Cic. pro Lig.: »queritur se prohibitum«; deest »esse«.“ Apparet ex verbis »frequenter tamen et per ellipsin — funguntur« in eis, quae antecedunt, exemplis ellipsin verbi non esse admissam, quod perspicue cognoscimus in graeco exemplo ἀτιμάσας γένῃ; in latino autem ob » — us« syllabam iam non cognosci potest, sed, intellegendum esse »Quid meritus es?« s. »Quid meritu's?« etiam ex verbis »adiungentes etiam v. subst.« elucet. Ceterum in ipso illo exemplo, ubi revera copula omissa est, Vergilianum dico exemplum, expresse adscriptum

est: Deest »es«; item ad Ciceronianum illud: Deest »esse«. Sane non hoc voluit commentari Prisc., participia per se sola om. verbo subst. pro propriis verbis poni, sed ad coniugationem quam dicunt periphrasticam pertinent ea, quae monet, in qua pro simplici verbo participia ponuntur cum copula, quae tamen etiam omitti possit; ad hanc exceptionem spectant Vergilii locus isque, quem ex Cicerone deprompsit, ad ipsam regulam Phroenichi et Terentii exempla. Quin ipse hic Prisciani locus nobis pro argumento esse potest, quo luculenter demonstretur »—us« nonnunquam in versibus nude scriptum et tamen pro »us es« intellectum fuisse. De hac re videas Bentleium ad Ad. 961 hoc adnotantem: „scribendum »Bonu's«, quod olim sono differebat a simplice »Bonus«."

Etiam acrius contra Olseni rationem pugnat hic Plauti locus:

Pers. II, 2. 38 *Itanest? :: Itanest? :: Mala's :: Scelestus :: Decet me :: Me quidem haud decet.*

Profecto, si quidem ullus, hic versus indicium firmissimum praebet, quo quam facile »es« in »us« syllabam concedere potuerit cognoscamus. Nam hoc in versu utique opus esse verbo subst. ex »ús« revocando, ita ut habeamus »Scelestu's« demonstrat ipsa versus structura, quae est omnibus membris cum perspicua ratione aequalis ac congruens. Sat lepide Ols., ubi laudat hunc versum, ut maior suae rationi haberetur fides, initium eius exitumque omisit.

Sequitur Andr. 496 *Intérminatus súm, ne faceres? núm veritus? quid ré tulit?*

Nonne quo accentu »veritus« inambulet atque potissimum in hac versus sede vel maxime insigne videtur, cum omnibus aliis locis, quibus exstat, his numeris exhibeatur: »véritus« velut Andr. 488 *véritus óptumae*;[1]) ibid. 852 *véritus súm;* ibid. 936 *véritus póst ibi* Eun. 854 *véritus és*[2]) Phorm. 971 *véritus féminae* ibid. 315 *véritum hinc abiisse.* Ceterum cf. Bentleium ad hunc locum.

Iam igitur dicendum est viros dd. non tam temere saepius, ubi »es« verbum ex observata dicendi consuetudine appareat deesse non posse, ex ipsa »us« syllaba fugitivum in locum suum reducere conari. Denique exstant nonnulli loci, quibus »es« post »us« plena syllaba traditum est, sed ita, ut nisi cum »us« coalescat, versus non sit[3]). Quae res aliud synaloephae illius argumentum suppeditare videtur. Quamquam aliquot locis Olseno, ut »es« formam cum »us« conectendam in dubitationem vocet, partim aliae virorum dd. haesitationes partim certa depravationis vestigia in ipsis libris auxilio veniunt, tamen restant exempla, ubi ad illam synaloepham e medio tollendam nulla alia ei visa est medicina, quam ut ipsam »es« verbum expelleret. Ad commendandum hoc remedium similes alios locos confert, quibus suo iudicio eadem ratione copula omissa est, nimirum quod ab initio pro certo habebat »es« in »us« syllaba nequaquam latere posse. Sed iam supra demonstratum est, quam infirma evadat haec sententia eis potissimum comparatis exemplis, ubi voce feminini generis praedicatum efficitur. Atque etiam alia exempla omissionis ad comparationem vocat, ubi non vocabulum in »—us« terminatum praedicati locum obtinet, et talia quoque, ubi alia cop. pers. desideratur; maximam autem partem tam infeliciter ea eligit, ut iam frustra quaerat, cui fiduciam iniciat. Qui quaeso comparare licet Capt. V, 2. 12 *Satis facundus* (scl. es) cum talis loquendi formulis »tanto melior«, »tanto nequior«, »tanto miserior«? Quae porro sit similitudo interplenam sententiam hanc Trin. I, 2. 59 *Si id non me accusas, tute obiurgandus* (scl. es) et concisa haec indicia Cic. ad Att. VII, 3. 12 *reliqua, quae nosti ferenda* X, 12. 2 *Sicilia petenda* XIII, 13. 12 *aut cessandum igitur aut aliquid excogitandum* Asin. IV, 2. 32 *Spectandum, ne quoi anulum det?* Ceterum facilius omitti posse tertiae pers. copulam quam secundae, quis est quin sciat? — Quae cum ita sint, mea sententia ei loci, ubi »es« verbo

[1]) Traditum est »huic veritus est optumae« incommodis numeris. Bentl. ci. »huic est veritust opt.«; proposuit.

[2]) L. l. Call.: *Num meam saevitiam veritus? :: Non :: Quid igitur?*, ita ut versus una syllaba brevior sit. Bentl. ci. »veritu's? :: Non :: Non? quid igitur?«; sed malim scribere cum A[1]) et Don. »veritus es«. Quod Bentl. suam scripturam eo commendat, quod sic responsum Chaereae in ictu exaudiatur, hoc non multum valere vides ex Phorm. 568 *Addúxtin tecum filiam? :: Non :: Quid ita non?*; praeterea ex hoc loco et subsequentibus Heaut. 894 *Non :: Quid, ? non?;* Ad. 661 *Non :: Obsecro non?* patet Terentium, ubi sola negationis particula responsum factum est, non hanc solam in interrogatione repetere.

[3]) Ols. l. l. pag. 45—51.

plena syllaba tradito synaloephae vestigia exstare videntur, religiosius servandi sunt; neque cautae est rationis credere secundum ingentem numerum exemplorum verbi subst. omissi a librariis ignaris huius usus =es= copulam paucis illis locis additam esse; quod ut non cautum est ita ne speciem quidem habet probabilitatis. Nam, quoniam nobis certum esse vult Ols. veterem interpolatorem sui negotii putasse, ubi ipsi usus illius omissae copulae ignaro deesse ea videretur, versui de suo eam inculcare, nonne mirum est eum his paucissimis locis interpolasse, contra „ingentem illum numerum" intemptatum reliquisse? Ex contrario autem, quandoquidem „ingentem illum numerum" intemptatum reliquit, nonne verisimilius est eum non ignarum huius usus iudicare?

Si iam omnia, quae adhuc contra Olseni sententiam prolata sunt, comprehendimus, nescio an nimis durus ille fuerit praetor, qui synaloepha =es= verbi ut ex libris in exsilium expelleretur edixerit. Sed iam spectemus, quinam sint illi testes, quibus innisus Ols. synaloepham =us= et =es= syllabarum ex lingua latina removendam censuit. — Duo sunt, quos ut ipsi advocati essent ascivit, Marius Plotius et Marius Victorinus. De auctoritate horum testium iam nihil dicam, sed quid tandem testentur videamus. Prior VI, 448 K. haec profert:

> „S vero littera eliditur sola, si a consonanti incipiat altera pars orationis, ut Lucretius =ex infantibu' parvis=."

Ex hoc testimonio Ols. colligit ante =es= et =est= formas, ut quae a vocali incipiant, =s= litteram elidi non posse ideoque de synaloepha =us= et =es= syllabarum cogitare non licere. Nonne autem grammaticus de prorsus alia re dicit? Ceterum non hoc contendit, =s= litteram tum solum elidi posse, si a consonanti incipiat altera pars orationis, sed solam esse =s= litteram, cui hoc genus elisionis obtingat. Quae cum ita sint, haud scio an rectius Ols. hunc testem foro removisset. — Marius Victorinus VI, 22 K. haec dicit:

> „cum fuerit scriptum =audiendus est= et =scribendus est= et similia generis masc., primam vocem integram relinquetis, ex novissima autem =e= et =es= detrahetis, idem facietis in femininis, ut prima vox cuius generis sit appareat, idemque in neutris."

Hoc ex parte saltem bene se habet. Sed num hac sententia revera demonstratum est id, quod synaloephae nomine significari solet, non exstitisse? Meo iudicio nil aliud demonstratur nisi grammatico illi, quod iam multi sibi persuaserunt, synaloephae nomen non accommodatum ipsi rei esse visum, quae rectius aphaeresis appellaretur; quare factum est, ut nonnulli =nactus's=, =ausus's= scribere mallent. Constantia quadam ei egerunt, qui illam amplexi rationem hanc scripturam proposuerunt, sed dubito an opinio eos fefellerit; nam hanc esse rei rationem atque condicionem quominus credamus, ea re ni fallor prohibemur, quod =— a es= et =— u(s) es= longa syllaba efficitur, et id ipsum aliud est argumentum, quod contra Olsenum pugnet. Nam ex. gr. si Mil. glor. III, 2. 12 *Eho tú, sccleste, quí illí suppromu's: eho* Olsenum secuti =suppromus= scriberemus, omnino versum non haberemus; sane cum =us= terminatio longae syllabae locum expleat, fieri non potest, quin =u(s) es= intellegatur. Huiusmodi autem locis Olseni sententiam vel maxime redargui iam recte docuit l. l. pag. 53 Seyffertus, apud quem alia exempla similiter comparata invenies. Etiam haec, quae porro Seyff. eodem loco opposuit, inspicias quaeso: „Steht ferner wohl an einer Versstelle, wo eine Kürze erforderlich ist, z. B. am Schlusse des Senars jemals etwas derartiges wie largitus hoc für largitus es hoc? Wo nicht, so ist dies sicherlich ein für die Lösung der Frage beachtenswertes Moment, da es ein deutlicher Fingerzeig wäre, dass Plautus derartiges vermieden hat, weil er largitus es oder largitu's zu sagen pflegte."

Sed iam nolo amplius cum Olsenso certare. Satis habeo de summa rei disputasse; singula, quae ad Terentium pertinent, in posteriore parte commentationis advehaм; quae ad Plautum, de eis ei videant, quibus Plautus inprimis curae est. Nam iam saepe aegerrime tuli, ubi vidi in omnibus fere grammaticis quaestionibus, quae ad scaenicorum potissimum genus dicendi pertinerent, Terentiana exempla semper quasi in appendice Plautinis adiungi; atque quam multum differat Terentianus sermo a Plautino constat, et certe est Terentius dignus scriptor, qui per se solus pertractetur. Iam igitur in hoc ipso mansionem faciamus et inde cetera, quae in conspectu posita sunt, contemplemur. Etiam ad ea, quae de reliquis

pers. Ols. protulit, iam h. l. non accedam, quod, cum in eis non nova aliqua ratione, ut in secunda pers. sing. factum est, in rem inquisiverit, generalis quidem considerationis nullus locus conceditur; non nulla tamen, ubi de ipso Terentio agemus, occasione data advocabimus. Iam restat, ut rationem subducamus atque diiudicemus, quinam fructus ex eis, quae adhuc disputavimus, ad nostram quaestionem redundent. **Aphaeresis igitur »es« verbi non dubitandum est quin exstiterit.** Quo concesso in propatulo est, ubicunque post »— us« syllabam »es« deesse videtur, ex libris mss. nihil evenire auxilii ad diiudicandum. At tamen ab eis proficiscamur oportet. Quid ergo faciendum? Mea quidem sententia bene procedemus hanc viam ingressi. Ne temere, ubi »es« copulam desideramus, statim circulo illo adhibito eam ex »— us« syllaba protrahamus, priusquam utrum admovenda an omittenda sit statuamus, **rell. loci atque inprimis eiusdem scriptoris conferendi sunt, quibus voce in alium exitum terminata praedicatum efficitur; neque satis est hos locos grammatica ratione similes esse, sed necesse est etiam in eadem sententiarum condicione eos esse positos;** tunc demum aliorum quoque scriptorum, qui eodem sermonis genere utuntur, exempla comparari possunt ad **illustrandum** omissionis genus, de quo iam in nostro scriptore nulla sit dubitatio, neque tamen, nisi cum summa cautione fit, ad **probandum** tale genus, de quo etiam dubitetur. Qua via patefacta nunc denique eo pervenimus, ut ad ipsum Terentium transgrediamur.

Pars altera.

I. De modi infinitivi omissione.

Ut primum absolvam notissimum usum omissionis, si apud »velle« et »nolle« verba inf. perf. pass. ponendus est, a Terentio maximam partem om. »esse« solum partic. ponitur velut in his brevibus locutionibus »velem hercle factum« Andr. 815; »factum volo« Phorm. 787; »nollem datum« ibid. 796; »nollem factum« Ad. 165. Sed etiam, ubi extensior est sententia, »esse« omittitur; cf. Andr. 667 sq. *si omnes hunc coniectum in nuptias inimici vellent*; Heaut. 26 *qua re omnes vos oratos volo*; ibid. 185 *Quam vellem Menedemum invitatum;* item Phorm. 432, 792. Hec. 546. 590; Ad. 372. 775. 919. Nec non deest copula, si adiectivo praedic. efficitur, velut Heaut. 1051. *Si me vivom vis*; Hec. 259. *Ut tu illam salvam magis velis quam ego*; item ibid. 464 et Ad. 695. Quin Andr. 697 *Qui inter nos discidium volunt* »esse« omittitur, etsi hic non tam copulae quam proprii verbi locum tenet. Eadem est res Hec. 655 sq. *Pater, si ex me illa liberos vellet sibi aut se esse mecum nuptam,* ubi vix »esse« ex posteriore enuntiati membro ad prius suppleri potest. Verum monendum est, ne quis quae adhuc protuli exempla ad iustum ellipsium genus pertinere existimet. Deest sane his omnibus locis verbum subst. neque tamen per ellipsin deest; immo non opus est verbo subst. in his loquendi formulis, quae pertinent ad antiquam et κατ' ἐνέργειαν verba construentem dicendi rationem, ex qua demum accusativi cum inf., quae vocatur, structura originem atque principium hausit.[1]) At hic non est locus quo de hac re explicatius agatur, sed non incommode fortasse comparantur haec vernaculae linguae exempla: Gehenkt will ich ihn! et plenior forma: Gehenkt will ich ihn sehen! Utraque formula eodem iure promiscue usurpatur neque licet breviorem illam ex pleniore per ellipsin contortam dicere. Atque etiam pleniorem formam a Terentio haud infrequenter adhibitam esse, ex his locis discimus: Andr. 510 *Prorsus a me opinionem hanc tuam esse amotam volo*; Eun 248; Heaut. 941; Phorm. 153. 723. 811; Hec. 635. 656. 758; Ad. 162. Huc referatur etiam Hec. 227 *quod Laches me nunc conventam esse expetit.* Verum enimvero apud »pati« perinde ac supra apud »velle« et »nolle« vidimus solum participium ponitur Phorm. 304 *Egon illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?* et Hec. 538 *Nam negabas nuptam posse filiam tuam te pati.*

Semper omissum est verb. subst., si ad »oportet« accedit inf. perf. pass. velut Heaut. 200 *mansum tamen oportuit.* Ceteri loci Terentiani exstant Heaut. 247. 536. 635; Phorm. 214.

Denique saepe a Terentio in constructione accusativi c. inf. apud participium »esse« omissum vel, ut veram rei rationem significemus, non admissum est, utpote quod in genuina huius constructionis forma omnino non habuerit legitimum locum. Notandum est ad gerundium et gerundivum in constructione accusativi c. inf. adeo non adamare Terentium copulae adiectionem, ut semel inveniatur Andr. 695 *Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos,* ubi, praesertim cum Bembini hoc loco non habeamus testimonium, »esse« non prorsus suspicione caret. Quam in hoc versu suspicamur corruptelam manifesto deprehendimus Phorm. 249 *Molendum usque in pistrino vapulandum, habendae compedes,* ubi »usque«, quod in hoc conexu haud admodum usitatum ab interpolatore immissum esse non verisimile est, »esse« verbo postea adiecto in AD'G expulsum est, postquam haec verba aliquamdiu una sunt prolata.[2]) Non minus quam »esse« pron. »mihi« quod plerique librorum Call. exhibent, interpolatorem redolet, et quod nonnulli eorum »est« pro »esse« praebent, id alius eiusque recentioris interpolatoris

[1]) Ita quidem Schoellius in lectionibus suis nos sodales docuit, cum de acc. c. inf. constructionis origine ac ratione disputaret.

[2]) Lact. Inst. VII., 27. 3 „Cogitanda et proponenda sunt nobis Terentiana illa »molendum esse usque in — compedes«."

ingenio debetur; nempe eius est, qui in inf. ›esse‹ propter sequentia ›habendae compedes‹ suo iure offenderit.[1]) Quodsi cum Bentleio Fleckeisenus et Dzi. ›Molendumst in pistrino‹ scribunt, equidem non adstipuler primum quod, ut iam dixi, non credo ›usque‹ interpolatum esse, deinde quod Terentius copulam, si quando in enumeratione apposuit, unicuique membro addere solitus est; cf. Ad. 474 *Ignotumst, tacitumst, creditumst* et ibid. 425. 950; Phorm. 135; Hec. 202 etc. Omissionem autem ›esse‹ verbi hac condicione vel maxime usitatam esse Terentio, postea occasione data luculenter perspiciemus.

II. De modi finiti omissione.

Ad quam rem pertractandam mea quidem sententia nulli est commodo ita instituere observationem, ut singulas personas verbi subst. ordine percurramus; namque primum, hanc si ingrederemur viam, fieri non posset, quin, ubi collectorum exemplorum similia genera componere et naturam eorum rationemque perquirentes certis praeceptis atque legibus amplecti studeremus, saepius perquam moleste iam antea prolata repetere cogeremur; deinde haec divisio externo cuidam sane ordini accommodata ab ulla ipsius rei ratione aliena videtur, quippe cum quidnam habeant peculiare singulae pers. neutiquam appareat. Generales igitur normae et generalia omissionum genera quaerenda sunt. Sed iam ad ipsam rem transeamus atque primum videamus, quibus condicionibus omissio admittatur

a) in sententiis primariis.

Brixius l. l., ubi de omissa tertia sing. pers. dicit, hoc profert: „Hic omnium primum tenendum est, nunquam ›est‹ omitti in formulis ›certum est‹, ›melius est‹, ›satius est‹, ›opus est‹, ›usus est‹, ›quid negotist‹ ›negotiumst‹, ›par est‹, ›aequom est‹ et quae sunt his similia.“ Olsenus contra hanc sententiam disputans demonstrare studet Plautum in his formulis minime repudiasse omissionem verbi substantivi. Plautum nunc non curo; a Terentio autem prorsus abiudicandum esse talem omissionem certum est. Recte vv. dd. Andr. 631 *Post ubi tempust promissa iam perfici* copulam, quam omittunt cum Don.[2]) CP codd., ex reliquis receperunt, etsi olim post Faërnum vel Bentl. non agnoverat. Minus vero offendendum est, quod Heaut. 1054 sq. *si facit*, *Quod ego hunc aequom censeo* ›esse‹ omissum est; nam hic ›aequom‹ abiecta fere formulae natura in dicionem ›censendi‹ verbi abiit similiter atque Ad. 601 *Si ita aequom censes.* Iam nunc igitur videmus, si quidem recte Ols. disputavit — et nonnulla sane ei concedemus —, quam longe differat Terentianus sermo a Plautino, ita ut vel maxime cavendum sit, ne Plautum et Terentium uno modulo metiamur. — Communem cum Plauto vel potius cum omnibus linguae lat. scriptoribus habet Ter. omissionem verbi subst. in talibus formulis velut ›mirum ni‹, ›nimium quantum‹, ›incredibile quantum‹, ›quid ni‹, ›quid quod‹ et quae sunt similia. Quare recte sine dubio vv. dd. Phorm. 247 del. ›est‹ scripserunt *O Phaedria, incredibile quantum erum ante eo sapientia;* nam copula, hoc potissimum loco perquam suspecta, eo magis fit dubitationi obnoxia, quod sequitur modus indicativus ›ante eo‹[3]); accedit, quod Celsus apud Char. pag. 207 K. scripturae sine ›est‹ favet. At tamen alias, ubi extensior fit sententia, et praecipue si partes formulae addidamentis dirimuntur, copula ascitur velut Andr. 651 *Quid istuc tam mirumst, de te si exemplum capit?* Ad formularum brevitatem pertinet etiam omissio copulae in locutionibus ›tanto melior‹ (scl. es) et ›tanto nequior‹ similiter Plaut. ›tanto miserior‹ etc. Formulae speciem habet etiam Eun. 427 *nil supra* et Andr. 120 *ut nil supra,* etsi hic coniunctivus ponendus erat. Eandem formulam habemus Ad. 264 *Nil potest supra,* ubi ›esse‹ vel

[1]) Non placet Donati adnotatio: „Vitiosam locutionem servili personae dedit Terentius. Nam integrum esset, si diceret ›habendas compedes‹. Unde quidam non ›esse‹ sed ›usque‹ legunt.“ Quibus verbis patet iam Donati temporibus ›esse‹ interpolatum fuisse.

[2]) post ubi tempus] Deest ›est‹, ut sit ›tempus est‹.

[3]) Inter alios vide Ed. Becker „Studemund's Studien z. arch. Lat.“ I, 236.

»dici« suppleamus oportet. Quod plerique editores pro »potest«, quod omnibus codd. traditum est, »pote« scripserunt,[1]) recte fortasse fecerunt, nam exstat Donati testimonium illustrissimum; atque etiam hoc loco excusatur omissio copulae, quod haec locutio formulae speciem praebet. Idem cadit in Ad. 539 *Potin ut desinas?* Quod hoc loco copula deest iam Engelbrecht in „Stud. Terent.“ pag. 28 recte monuit id eo explicari, quod »potin ut« dudum in formulam abiisset tritissimam Plauto potissimum vel maxime usitatam. Praeter haec duo exempla, ubi concisam formulam habemus, sciendum est Terentium ad »potis« adiectivum pro verbo »posse« adhibitum semper verbum subst. adposuisse,[2]) cum Plauti usus hac in re egregie distet; nam sescenties in eius fabulis nudum »potis« vel »pote« non modo pro »potest« sive »potis est« sed etiam pro aliis formis verbi subst. infinitivo modo non excepto positum esse constat. Iterum igitur habemus exemplum, ex quo non omnia quae Plauti sunt, Terentio quoque convenire facillime cognoscimus. Eis locis, ubi, cum non habeamus brevem formulam, copula deest, per coniecturam demum exceptiones factae sunt, quare eae ipsae perquam suspectae evadunt. Etenim Phorm. 337 traditum est

Nón potest satis pro mérito ab illo tíbi referri grátia.

Bentl. ci. »pote« inutiliter; nam non est, cur »potest« non particeps sit illius scaenicorum licentiae, qua vocabula integra vel vocabulorum coniunctiones, quae iamb. pedem expleant, pyrrichio numero metiantur, si quidem ictus versus aut in primam iambi syllabam aut in proximam post ipsum iambum cadat.[3]) Certum est, qui non offenderit in »quid ĕst si hóc« Andr. 237; »quid ĕst spónsae« ibid. 732; »adĕst Pármeno« Hec. 409; »adĕs aúdi« ibid. 510, inconstantiae eum convinci »potĕst sátis« recusantem. Item, qui »vidĕn me cónsilio« Andr. 616; »érĭt praesídium« Heaut. 967; »quód ĕst promissum« Phorm. 513; »pótĕs adférre« ibid. 553 admiserit, eum etiam

Hec. 479 *Néque alio pactó componi pótest inter eas grátias*

in »pótĕst intér« non offendere aequum est. Neque opus est cum Bentleio scribere »Neque alio componi pacto potis inter eas gratiast«, neque Fleckeiseni uti transpositione »potest componi«; prorsus autem falso Umpf. »potis« om. cop. pro »potest« advocavit.

Nunc spectemus illud genus omissionis, ubi in responsione copula omittitur, ita quidem ut ex antecedenti interrogatione facile mente repetere possis velut Andr. 665 *Factum hoc est, Dave?* :: *Factum* :: *Hem, quid ais, scelus?*; ibid. 907 sq. *sed hicinest Simo?* | :: *Hic.*; Heaut. 166 sq. *Sicinest sententia?* | *Sic.*; Hec. 813 *Tantumne est?* :: *Tantum.*; Ad. 329 *Satin hoc certumst?* :: *Certum.*; ibid. 468 sq. *An quid est etiam amplius?* | :: *Vero amplius.* Huc pertinet etiam

Eun. 462 sq. *Ituran, Thais, quopiam es?* :: *Ehem, Parmeno,*
Bene fecisti :: *hodie itura* :: *Quo?*

nisi, quod Umpfenbachio placuisse videtur, mavis statuere poëtam consulto meretricis verba servi quaestione intercepisse. Ceterum cf. Pers. III, 1. 50 sq. *Futura's dicto oboediens, an non, patri?* | :: *Futura.* Rud. III, 4. 35 sq. *Non tu Cyrenensis es?* | :: *Immo Athenis natus altusque educatusque Atticis.* etc. Ut v. subst. »esse«, ita etiam »videri« nonnunquam omissum est velut Eun. 273 sq. *sed quid videtur* | *hoc tibi mancupium?* :: *Non malum hercle.* Etiam, si non eadem forma atque in interrogatione posita est suppleri debet, hoc verbum omittitur velut. Andr. 702 *Quis videor?* :: *miser, aeque atque ego.* etc. — Restat, ut de eo exemplo, quod primo loco posuimus, Andr. 665, ut quod aliquantum praebeat dubitationis, pauca proferamus. Etenim Bentl. »Factum est hoc, D.? :: Factumst« scribere proposuit. Contra hanc

[1]) Cf. etiam Eug. Zimmermann „De verbi posse formis dissolutis“ 1889 pag. 23.

[2]) Legitur »potis est« Eun. 263; Heaut. 659 (BCEFP: »potest«, sed metro efflagitatur, ut plenior forma scribatur); Phorm. 379 (A falso: »potis es«) Hec. 395; Ad. 344. 521. 626 — »potis es« Heaut. 321 (A: »potes« contra numeros; ll. Call.: »potis est«, qui praeter G etiam »Clitipho est« pro »Cl. es« habent) — »potin est« Eun. 101 — »potin es« And. 437.

[3]) Cf. Speng., Andr. praef. XXV sqq.; Wagner, Heaut. Einl. pag. 19; Corssen, Voc. etc. II pag. 646 sqq.

praeclarissimi viri sententiam monendum est primum, hunc verborum ordinem non esse Terentianum; cf. Eun. 129 *Oh dubiumne it est?*; Heaut. 607 *Dubium it est?*; ibid. 911 *An dubium id tibist?*; Hec. 661 *mirandumne id est?*; Ad. 950 *Paulum id autemst?*; Phorm. 211 *Satine sic est?*[1]) :: *Non* :: *Quid si sic?* :: *Própemodum* :: *Quid sic?* :: *Sat est.*; And. 399 *Haud dubium id quidemst.*; Heaut. 348 *Verum hercle istuc est.*; ibid. 458 sq. *asperum,* | *Pater, hoc est.* Phorm. 494 *verum hercle hoc est.* Heaut. 18 *factum id esse hic non negat.* Ita quidem Fl. recte, ut mihi videtur. Nam ea, quam Umpf. et Wagn. ex Bembino receperunt, verborum collocatio, si quid video, prorsus aliena est ab arte Terentiana; neque magis placet Bentlei ex maxima parte Call. librorum exhausta scriptura »id esse f. hic non negat«; cf. etiam Heaut. 1034 *et nostrum te esse credito* etc. Quin secundum hunc locorum concentum non dubito Hec. 272 scribere *Certúmne istúc est?* pro eo, quod traditum est *Certúmnest istuc?*, quod etiam numeri suadent; nam »istuc« solet aut in thesi delitescere aut in ultima sub ictu cadere. Restat unus locus, ubi poetae fortasse aliter lubuit Phorm. 683 *Satine ést id* :: *Nescio hercle, tantum iussus sum;*[2]) at Schoellius aliquando mihi proposuit hanc verborum dispositionem *Satin ést?* :: *Id nescio — sum.* Haec hactenus de Bentlei »Factum est hoc?«. Iam quod ad hiatum tollendum »Factumst« pro »Factum« ex nescio quo obscuro libro recepit, praeter illos iam supra collectos locos ei potissimum inspiciendi sunt, quibus, etiamsi non ipsum »factumst?« praemissum est, tamen nudo »factum« respondetur velut Eun. 851 *Aufugistin?* :: *Era, factum*; cf. etiam ibid. 708, Hec. 452, Ad. 561. Nec non, si non tam responsum quam confirmatio alterius sententiae datur, »factum« sine copula dicitur velut

Phorm. 523 sq. *Certe hercle, ego si satis commemini, tibi quidemst olim dies,*
Quam ad dares huic, praestituta :: *Factum.*
Hec. 845 sq. *Sic te opinor dixisse, invenisse Myrrhinam*
Bacchidem anulum suom habere :: *Factum.*
Heaut. 568 *Vel heri in vino quam immodestus fuisti,* :: *Factum* :: *quam molestus!*[3])

Additur sane Cop. ad »factum«, si plenior est sententia velut »sic est factum« Heaut. 628 et Ad. 448; »sic factumst« Phorm. 1006; »ita factumst« Hec. 357. Unum exstat exemplum Ad. 798, ubi »factumst« respondetur, ita ut, etiamsi non velis Spengelio adstipulari, qui magna cum probabilitate inde a v. 796 sententiam ita conformavit:

dictum hoc inter nos fuit,
Ex te adeost ortum, ne tu curares meum
Neve ego tuom. responde, factumst? :: *Non nego.*[4])

tamen haec sit rei condicio, ut concedas cavendum esse, ne cum Bentleio illo Andriae loco »factumst« coniciamus, quamquam, si bonis testibus traditum esset, fortasse admitteremus. Denique, si »est« post »factum« immitteremus, iam per se non lenior esset mutatio, quam si ex. gr. cum Spengelio »Em, quid ais, [o] scelus?« legeremus. Sed quomodo versus sanandus sit, incertum est; certum autem est »factumst« non debere scribi. Schoell. occasione data mihi proposuit »Factum. [:: Em!] :: Hem, quid ais, scelus?«; ipse aliquamdiu coll. Eun. 474 *Quid tu aïs, Gnatho?*[5]) de tali versu cogitavi:

Factum hóc est, Dave? :: *Fáctum* :: *Hem, quid [tu] aïs, scelus?* —

[1]) Quodsi Bentl. »Satin est sic?« contra libros et contra usum proposuit, ut »sic« ubique acueretur, vereor ne nimium tribuat lepori et venustati Terentianae

[2]) Don. quidem etiam h. l. usitatam collocationem exibet »Satisne id est?«.

[3]) Don.] „Fatetur servus, eum (intell. Clitiphonem) fuisse immodestum in vino, nisi etiam capiatur »factum« sicut »actumst«, ut sit desperantis dictum.“ Posteriori sententiae ideo non assentiar, quod Ter. usquequaque, si ea est sententia, »actumst« (cop. semper apposita) dicit; semel invenitur proverbialiter dictum »facta transacta omnia.« Andr. 248, ubi, cum »facta« cum composito agendi verbi coniunctum sit, nil est offensionis; cf. etiam Cic. in Cat. III, 6. 15 *atque illud, quod faciendum primum fuit, factum atque transactum est.* Ceterum hic iam non est, cur Syrus desperans inducatur, quoniam iam antea Clitipho erus eius a patre multo gravioris facinoris incusatus est (vv. 563 sq.). Immo »factum« dicens Syrus incusationi Chremetis assentiri simulat, ut sibi eius consciscat fiduciam, qua opus est ad fraudem, quam in eum intendere conatur.

[4]) Nescio an etiam propterea de tali mutatione, quae vera nulla est, cogitare liceat, quod coll. Hec. 838 exspectaremus »factum non nego«, ita ut »factum« accus. partic. sit.

[5]) Quod h. l. »tu« sententiae ictu premitur, illo loco Andr. 665 non premitur, id nullius esse momenti, discimus ex gr. ex Andr. 658 *Scio: tu coactus tua voluntate es.*

Non modo non desideratur sed molestissima foret verbi subst. adiectio in talibus responsis: Heaut. 430 *Ubinamst quaeso?* :: *Apud me domi.* Hec. 272 *Certumne istuc est?*[1]) :: *Nunc quidem, ut videtur.* Ad. 528 *Nihilne in mentemst?* :: *Nunquam quicquam.* etc. — Ad responsionum brevitatem pertinent etiam Andr. 349 sq.

Id paves, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. :: *Rem tenes.*
:: *Istuc ipsum.*

ibid. 28 sq. *Dictum puta:*
Nempe ut curentur recte haec. :: *Immo aliud.*

Eun. 907 sq. *Quam ob rem tandem? an quia pudet?*
:: *Id ipsum.*

Phorm. 238 *Etiamne id lex coëgit?* :: *Illud durum.*

Cum his exemplis commode comparatur

Eun. 361 *Estne, ut fertur, forma?* :: *Sane* :: *Ad nihil ad nostram hanc* :: *Alia res.*

ubi non modo Bembini fide caret ›est‹, quod rell. ll. post ›res‹ exhibent, sed etiam concisa minutatim respondentis oratione excluditur.[2]) Longe alia tamen est res

Eun. 268 *Rivalis servom; salva res est. nimirum homines frigent.*

HIS

Sic traditum est, nisi quod A habet NIMIRUM KOMINES, HIS add. a recentiore manu, ut ex aspiratae forma elucet. Bentl. del. ›est‹ ita scribendum proposuit ›salva res. nimirum hice (Fl. hisce) homines frigent‹. Sed non assentiar viri doctissimi coniecturae. Inprimis enim in hac formula tam firmus est usus addendae cop., ut iam per se haud probabiliter ›est‹ omittatur.[3]) Deinde haud scio an contra artem Terentianam ›hisce‹ versui inculcetur, quippe cum in eo, qui proxime subsequitur, versu aliud ›hisce‹ inambulet. Consulto autem bis hoc pronomen esse positum, ita ut Parmeno contemptum parasiti imitaretur, ideo non credo, quod uterque ita loquitur, ut neuter alterius verba exaudiat; atque fallor an hac ratione locum exornare interpolator sui negotii duxerit. Servii autem testimonium[4]) praeponderat auctoritas Donati, qui, cum alterum demum ›hisce‹ exponat, priore loco ›hisce‹ non legit. Quod si B. offendit, quod ›est‹ retento ›nimirum‹ pronuntiandum esset, cum et Pl. et Ter. semper alias efferrent ›nimírum‹, dubito an vir summus ex re fortuita legem fecerit; nam omnino apud Plautum et Terentium hi tres tantum loci inveniuntur, quibus nisus illam legem promulgavit, Aul. II, 7. 23; Eun. 508 et 714 et unoquoque loco ›nimirum‹ casu in initio versuum iambicorum positum est; ceterum, si iam per se in illa pronuntiatione offendendum esset, minueretur offensio ultima per elisionem delitescente. Atqui si tamen quis Bentleio assentiatur in eo, quod ›hisce‹ inserendum censuit, nihilominus causa non adest, cur ›est‹ deleamus. Licet enim sic pronuntiare:

Rivális servom: Sálva rest. ni mírum hisce (s. hice) homines frígent.[5])

Hic etiam afferatur

Heaut. 662 *Nomen mulieris cedo quid sit, ut quaeratur* :: *Philtera.*[6])

Ad ›Philtera‹ supplendum esse ›est‹ videmus ex

Phorm. 385 sqq. *Dic nomen* :: *Nomen? maxume* — (v. 390)
:: *Stilpost.*

Satis notabilis exstat locus

ibid. 1048 sq. *Tu tuom dic nomen quid sit* :: *Phormio:*
Vostrae familiae hercle amicus et tuo summus Phaedriae.[6])

Etenim ad ›Phormio‹ ex antecedentibus supplemus ›mihi nomen est‹, simul autem sentimus ›Phormio sum‹ ob sequentem appositionem.

---

1) Libri quidem habent ›Certumnest istuc?‹
2) Cf. Brixium l. l. pag. 7.
3) Cf. Ad. 643; Capt. II, 2. 34; Epid. I, 2. 21; Aul. II, 2. 30; Rud. IV, 3. 98.
4) in Georg. IV, 104 et in Aen. I, 436: ›nimirum hic homines frigent‹.
5) Cf. Brixium l. l.
6) Cf. Beckerum l. l. pag. 169 sqq.

Apte hoc loco etiam de =ita= et =itast= formulis respondendi agitur. Langenus l. l. pag. 210 sqq. contra eorum sententiam pugnans, qui promiscue has duas locutiones adhibitas esse contendunt, certis finibus earum usum circumscribere conatus est; sic enim ei secernendae videntur: „Es muss ein schärferer Unterschied gemacht werden zwischen der bejahenden **Antwort** auf eine **Frage** und der **Bestätigung** einer vorhergehenden **Behauptung**; im ersteren Fall fehlt =est= immer, im zweiten kann es hinzugesetzt werden oder auch fehlen; das Letztere ist gewöhnlich der Fall, wenn zu =ita= noch eine Betheuerungspartikel hinzutritt." Quam observationem ut in Plautinum ita etiam in Terentii usum valere existimat. Plautum vero h. l. non curo, sed videamus, quid Terentio conveniat. Sex locos L. affert, ubi in responsione =ita= dictum est: Andr. 849, Eun. 697. 708. 721, Phorm. 382 Ad. 655. Respondet igitur =ita= accuratissime nostro „ja!" Quare huc pertinet etiam

Phorm. 415 sqq. *An, ut nequid turpe civis in se admitteret*
Propter egestatem, proxumo iussast dari,
Ut cum uno aetatem degeret? quod tu vetas.
Ita, proxumo quidem:

Fugerunt Langenum Phorm. 542 *Itanest?* :: *Ita.* et ibid. 901 *De eadem hac fortasse causa?* :: *Ita hercle.* Nullus autem exstat locus, ubi in responsione =itast= dicatur, quod adhibetur, si antecedens iudicium confirmatur, ut nos dicimus „so ist es"; cf.

Eun. 123 *Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.*
:: *Itast.*

item Andr. 386, Phorm. 265 et 326. Nec non huc pertinet

Andr. 523 sqq. *nam antea*
Qui scire posses aut ingenium noscere
Dum aetas metus magister prohibebant? :: *Itast.*

ubi antecedens sententia speciem tantum praebens interrogationis iudicii naturam attingit. Adhuc igitur Langeni observatio Terentianis quoque exemplis probata est; sed quod statuit eodem iure atque =itast= =etiam= =ita= locutionem, qua antecedens iudicium confirmetur, adhiberi, sententia eius dubia evadit. Primum enim exemplum, quod affert

Phorm. 613 sqq. GE. *Quid agitur?*
CH. *Multa: advenienti, ut fit, nova hic compluria.*
GE. *Ita. de Antiphone audistin quae facta?* CH. *Omnia.*

perquam dubium est. Qui enim potest Geta Chremetis verba confirmare, cum antea quid ageretur interrogasset? Fortasse recte cum Schoellio versus ita conformamus:

GE. *Quid agitur?*
CH. *Multa, advenienti ut fit.* GE. *Nova hic compluria?*
CH. *Ita.* GE. *De Antiphone audistin quae facta?* CH. *Omnia.*

Conradius,[1]) cum in =multa= et =compluria= verborum coniunctione offenderet, Bembini correctoris distinctionem amplexus sic scripsit:

GE. *Quid agitur?*
Multa advenienti ut fit nova hic. CH. *Compluria.*
GE. *Ita de Ant....*

Etiam hanc si sequimur rationem =ita= confirmantis non est. Equidem versu 212 ita conformato:

GE. *Itan? de Antiphone audistin quae facta?* CH. *Omnia.*[2])

antecedentes versus bene se habere putaverim. Geta, qui initio quidem nescientem se rerum, quae factae sunt, inducit, nonne aptissime, cum Chremetem earum esse conscium sensisset, sic interrogare videtur: „So? hast du gehört u. s. w.?" Sic Pl. Rud. III, 4. 42 sqq.

Itane inpudens?
Tune hic felis virginalis liberos parentibus
Sublectos habebis...?

Rectissime iam Dzi.

---

[1]) „Die metrische Composition der Komödien des Terenz." 1876. pag. 47 Anmerkung.

[2]) =Itān? de Ántiphone= ut alias =Itān crédis?=, =Itān tándem=.

Ad. 641 sq. *Nil mihi respondes?* :: *Non equidem istas, quod sciam.*
Ita? nam mirabar, quid hic negoti esset tibi.

»Ita« non confirmanti sed interroganti tribuit, sed nescio an rectius »Itan?« scripsisset, praesertim cum »n« littera proxima voce ab »n« incipiente facillime excidere potuerit. Sequitur

Ad. 286 sq. *Ego iam transacta re convortam me domum cum obsonio.*
:: *Ita quaeso: quando hoc...*

Speng. »Ita, quaeso« distinguens iniuria disiungebat, quae iungenda erant; nam sic solebant dicere »ita aiunt«, »ita praedicant«, »ita spero«, »ita credo« etc.; cf. etiam Ad. 927 *Ita quaeso, pater*, quem locum cur Sp. non item temptaverit, non video. Nil probant porro haec exempla:

Ad. 521 *Ita fiat, et istoc siquid potis est rectius* :: *Ita, nam hunc diem*

ubi non haec est vis particulae „so ist es", sed ex antecedentibus supplendum est »fiat«.

ibid. 570 *Scio ubi sit, verum hodie nunquam monstrabo* :: *Hem, quid ais?* :: *Ita.*

ubi »ais« suppleatur oportet; »ita« enim non nisi ad antecedencia »quid ais?« pertinere neque prioris sententiae »verum — monstrabo« confirmationem exhibere ex eo apparet, quod verba illa non iudicium sed consilium in futurum pertendens exprimunt, ad quod confirmatio, qualis datur »itast« locutione, omnino non quadrat; nam expectaremus potius »sic erit«, »certumst« vel tale quid. Satis mea ratio hoc loco iuvatur:

Andr. 461 *Ab Andriast ancilla haec* :: *Quid narras?* :: *Itast.*

ubi, cum non consilium sed iudicium antecedat, bene se habet confirmationis locutio »itast«. Unus locus

Phorm. 394 sqq. *primus esses memoriter*
Progeniem nostram usque ab avo atque atavo proferens.
:: *Ita, ut dicis. ego tum quom advenissem, qui mihi*
Cognata ea esset, dicerem:

qui regulam impugnare videtur, puncti signo post »dicis« deleto nullo negotio ad reliquorum concentum revocatur; scribendum igitur est v. 396 sq.

:: *Ita, ut dicis, ego tum quom advenissem, qui mihi*
Cognata ea esset, dicerem.

Non prorsus congruens est usus in »sic« et »sic est« locutionibus adhibendis, utpote cum in responsione non modo nudum »sic« sed etiam »sic est«, quae est alias confirmantis locutio[1]), usurpetur. De »sic« videas Dzi. ad. Phorm. 813. *Illa maneat?* :: *Sic.* — »Sic est« legitur in responsione.

Andr. 301 *Quid ais, Byrrhia? daturne illa Pamphilo hodie nuptum?* :: *Sic est.*

item Eun. 573. 992, Heaut. 242, et videtur Terentius, ut etiam in responsione contra suam rationem in »ita« particula adhibenda observatam verbum subst. adponeret numerorum saepius commoditate adductus esse. Quod si contendo in talis minutiis hic illic factum esse, tamen hoc tibi velim persuadeas in universum non tam res fortuitas metrique passim necessitatem quam ipsam sententiarum rationem ac colores in omissione verbi subst. discrimen fecisse. Ceterum praeter usitatissima illa »factum« et »ita« (s. »sic«) omnino non dici potest Terentium verbi subst. omissionem magis, quam vulgaris usus ferat, vel in hoc genere sententiarum adamasse, in quo facillime potuisset — etiam hoc magnum signum omnino non admodum eum omissione verbi subst. delectatum fuisse; cf. ex. gr. Andr. 965 *Quis homost?* :: *Ego sum.* Saepius in responsione cop. adposita est, ubi nostro sensu molestissima est eius adiectio velut Andr. 449 *Quidnamst?* :: *Puerilest* et Eun. 228 *Sed quis hic est, qui huc pergit? attat, hic quidemst parasitus Gnatho.* etc. Non igitur offendere possemus in eo, quod Fl.

Ad. 644 *Tibi vero quid istic est rei?* :: *Nil [est] mihi quidem*

»est« inseruit, sed non opus est hac mutatione, cum »rei« iambi numeris pronuntiare liceat. Nunquam denique, si interrogatur, num qua persona vere eadem sit, de qua cogitetur, in responsione v. subst. omissum est excepto illo loco, quem supra attulimus, Andr. 907 sq.

---

[1]) velut Eun. 718 sq. *Parmenonis tam scio esse hanc techinam quam me vivere.*
:: *Sic est.*

sed hicinest Simo? | :: *Hic.* Videas contra Phorm. 852 *Sed isne est, quem quaero, an non? ipsust* Eun. 848 *Sed estne haec Thais, quam video? ipsast.* ibid. 546 *Is est an non est? ipsust.* Andr. 801 sq. *estne hic Crito sobrinus Chrysidis?* | *Is est.* etc. etc. Quae cum ita sint, si quis de „Hic“ illo in Andr. v. 908 dubitaverit, non temere id fieri certum est. Fortasse coll. Phorm. 813 pro „Hic“ recte „Sic“ substituimus.[1])

Aliud genus omissionis verbi subst. exstat eis locis, qui per exclamationem efferuntur vel speciem exclamationis prae se ferunt. Huc pertinet imprimis illud „fabulae“, quod habemus ex. gr. Andr. 553 *Ita magnae, ut sperem posse avelli* :: *Fabulae!* item Heaut. 336, Phorm. 492. 946. Quod Umpf.

Andr. 223 sq. *ibi tum hanc eiectam Chrysidis*
Patrem recepisse orbam, parvam.' fabulae!

„parvam fabulast“ scripsit, inutiliter et contra loci sententiam fecit. Eodem sensu atque „fabulae“ usurpantur „logi“ et „somnia“ locutiones; cf.

Phorm. 493 sq. *Faeneratum istuc beneficium pulchre tibi dices* :: *Logi!*
:: *Crede mihi, gaudebis facto* : *verum hercle hoc est* :: *Somnia!*

sic etiam ibid. 873 sq. *Cum eius consuevit olim matre in Lemno clanculum.*
:: *Somnium! utin haec ignoraret* . . . .

Accedunt haec exempla:

Andr. 474 *Hui tam cito? ridiculum.* (item ibid. 712, Eun. 452, Phorm. 902, Ad. 676.)
Eun. 288 *Facete dictum* : *mira vero* . . . .
ibid. 402 sq. *Vero credere omnem exercitum,* | *Consilia* :: *Mirum.*
Heaut. 245 *Minime mirum* : *adeo impeditae erant.*
Hec. 423 sq. *Ita usque adversa tempestate usi sumus.*
:: *Odiosum.*
Phorm. 770 *Probe* :: *Dic sodes* :: *Nimium, inquam* :: *Immo si scias.*
Ad. 275 *Rem paene e patria! turpe dictu.*

Admodum usitata est omissio verbi subst. in eis locutionibus, in quibus „factum“ part. exhibetur velut „bene factum“, „male factum“, „optime factum“ Andr. 593. 969. 975. 992, Eun. 674. 1037, Phorm. 751. 883. Omnino in „factum“ voce, ut iam supra vidimus, singularis quaedam vis inesse videtur, quae omissioni copulae faveat, quippe cum vel in amplificata sententia ea admittatur, ubi iam non habeamus exclamationem velut

Hec. 456 *Bene factum te advenisse, Pamphile.*
Ad. 662 sqq. *Factum a vobis duriter*
Inmisericorditerque atque etiam, si est, pater,
Dicendum magis aperte, inliberaliter.

At tamen haec duo exempla non nisi in exceptionum loco ponenda sunt; nam ceteroquin, ubi non vera est exclamatio, copula utique advocatur velut Heaut. 249 *Factum a nobis stultest.* Hec. 624 *nam hercle abs te factumst turpiter.* ibid. 857. *Bene factum et volup est.* Sic etiam Ad. 955 *dictumst vere et re ipsa fieri oportet.*

Cavendum autem est in hoc genere, cum talia non raro per accusativum efferantur, ne verbo subst. assumendo ubique nominativum exstare putemus, quod iam monuit Ritschl., qui l. l. contendit Trin. IV, 3. 29 *Nequam quidem* non esse pro „nequam id quidem est“, quod admisisset Hermannus, sed accusativum esse neutrius generis ad eorum prorsus similitudinem, quae praecederent, „Morem improbum“. Itaque, si videmus Heaut. 530 *Hominem pistrino dignum.* Phorm. 134 *Jocularem audaciam.* ibid. 259 *Artificem probum* [2]) etc., nonne verisimilius Andr. 589 *vah consilium callidum.* ibid. 365 sq. *Nihil ornati, nihil tumulti: accessi: intro aspexi* :: *Scio:* | *Magnum signum* :: *Num* . . . de accusativo quam de nominativo

t sic

[1]) Hic D, corr. D².

[2]) Fl. cum libris Call. „O artificem probum“; sed „O“, quod nec Bemb. habet nec Don. nec Serv. eiusdem est interpolatoris, qui in eodem versu „tu“, quod item nec Bemb. nec Don. agnoscunt, interpolavit.

om. copula cogitamus? Dubito an etiam Phorm. 954 *Monstri, ita me di ament, simile.* item res se habeat. Similiter ex Ad. 783 *Edepol commissatorem.* Pseud. I, 5. 104 *Edepol mortalem graphicum.* etc. nostro iure suspicamur etiam Hec. 160 *Non edepol mirum.* non nominativum om. copula sed accusativum positum esse. Quis porro copulam suppleat Phorm. 264 *Ecce autem similia omnia,* cum viderit Eun. 297 *Ecce autem alterum.* Huc pertinet etiam Ad. 722 sq. *Ecce autem nova.* | :: *Capitalia.*[1]) Quin nescio an etiam Andr. 105 *O factum bene.* Eun. 416 *Pulchre me hercle dictum et sapienter*[2]) perperam de omissione verbi subst. cogitemus; non obstat adverbii adpositio, quippe cui participii natura faveat. Quod si Ols. pag. 76 sq. haec dicit: „Atque si legimus Epid. I, 1. 30 *Edepol facinus improbum,* facile quisque de accusativo exclamationis cogitaverit; ne autem id faciat, admonetur velut versu Amph. 857 (= II, 2. 228) *Nimis ecastor facinus mirumst, qui illi conlibitum siet*", hoc nil esse facile est intellectu. Numnam etiam non licet de accusativo cogitare velut Eun. 254 *Scitum hercle puerum,* Ad. 783 *Edepol commissatorem haud sane commodum,* quod legimus Ad. 961 *edepol vir bonu's*[3]). Andr. 486 *Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo.* ibid. 692 sq. *Atque edepol* | *Ea res est.* Eun. 311 *Hoc hercle fatumst?* Immo patet et illud =Edepol facinus improbum= accusativum esse et omnino hanc esse rei condicionem: utrumque genus, et accus. exclamationis et plenior forma toto enuntiato effecta, nisi quod prius vividioris sermonis est proprium, eodem iure vicissim usitabatur; ubi cop. deest, ex eis exemplis, in quibus ex ipsa terminatione accusativum agnoscimus, etiam in eis accusativum exstare colligendum est, in quibus ex terminatione quidem casus non potest perspici. Sane non desunt, ut supra vidimus, exempla, in quibus nomin. om. copula positus est; sed concisae sunt locutiones, quae carent particula exclamativa. At ne in his quidem locutionibus Terentium non admodum adamasse verbi subst. omissionem haec nos docent exempla: =actumst= Eun. 54. 465. 717. 985, Heaut. 584, Ad. 325; =miseritumst= Phorm. 99. 501, Hec. 379; sic etiam =dictumst=; =humanumst=; =nimiumst=; =certumst=; =difficilest= cum contiguo. Quin adeo est frequentata etiam plenior sententia velut =hoc actumst= Phorm. 1009; =hoc verumst= Phorm. 206, Ad. 888 etc. Iam satis puto elucere ne in talibus quidem locutionibus cotidiani sermonis brevitatem copulae potissimum omissione contineri. Quod si Fl. Hec. 220 *Minimeque adeost mirum; et ni id fecisset, magis mirum foret.* cum BCEFP copulam omisit, haud scio an rectius DG codicum et inprimis Bembini auctoritatem sequamur, videlicet cum viderimus Terentium non nisi in concisa locutione copulam omittere esse solitum.

Quodammodo ad exclamationum genus pertinent etiam exempla velut haec, de quibus iam antea diximus: Truc. IV, 2. 23 *Stultu's!* :: *Quid id est? aperi!* (sic Schoell.) et Pers. II, 2. 38 *Itanest?* :: *Itanest?* :: *Mala's* :: *Scelestu's* :: *Decet me* :: *Me quidem haud decet.* In quo genere exclamationum Ols. pag. 30 sqq. omissionem verbi subst. sat late patere contendit. In eo quidem profecto versu, quem posteriore loco legimus, iam supra vidimus minime dubitari licere, quin pro librorum =Scelestus= scribendum sit =Scelestu's=. Sed de Plautinis exemplis sat habeo scrupulum iniecisse; iam ipsum Terentium curemus. Atque solere eum in hoc genere dicendi copulam adsciscere, discimus ex Eun. 655 *Perii* :: *Temulenta's* :: *Utinam* . . . Hec. 753 *Lepida's: sed scin* . . . Eun. 816 *Iam dudum animus est in patinis* :: *Frugi es.* Praeterea =frugi es= legitur Heaut. 597; =frugi homo's= Ad. 959. Porro videas Heaut. 776 *Vah, tardus es.* Ad. 63 *nimium ineptus es.* Si plenior fit sententia alia accedente enuntiatione, non facile posse omitti copulam certum est; cf.

Heaut. 1011 *Iniquos es, qui me tacere de re tanta postules.*
Ad. 897 *Bonus es, quom haec existumas.*

Sic etiam Plaut. Truc. IV, 2. 17 *Stultus es, qui facta infecta facere verbis postules.*

Ad illa exempla =lepida's=, =temulenta's=, =tardus es= etc. pertinet etiam =Falsus es= Andr. 647, quem locum nunc demum profero, quod explicatius de eo agendum est. Traditum est BCEP codd.: *Falsus es* :: *Nonne tibi satis esse hoc visum solidumst gaudium*

[1]) Si quidem recte Bothius probante Fleckeiseno et Spengelio contra libros distinguit; videas tamen, quomodo Dzi. traditam scripturam defenderit.
[2]) =Pulcherrume hercle= Fleck.
[3]) Cf. pag. XXII.

DG habent ‚tibi esse satis hoc solidum visumst gaudium‘; Don.: ‚Falsus‘ (om. ‚es‘). Bentl., praeterquam quod ordinavit ‚solidum visumst gaudium‘ sublata interrogatione scribi vult ‚non satis tibi esse‘. Fl. priorem quidem mutationem repudians Bentlei versum adoptavit. Umpf.: *Falsu's* :: *Nonne tibi esse satis hoc solidum visumst gaudium.*
Speng.: *Falsus es* :: *Non tibi sat esse hoc. s. v. g.*

Tantus igitur est dissensus hominum dd., ut liceat de integro, quaenam genuina versus forma sit reputare. Atque in restituendo versu tria potissimum respicienda sunt. Primum cop. post ‚Falsus‘ deesse nequit.[1]) Alterum est, quod necessario ‚satis esse‘ verba cum BCEP ita coniuncta exhibenda sunt; nam habemus infinitivum usitatissimae illius formulae ‚satis est‘ s. ‚sat est‘, quae idem valet atque ‚sufficit‘, atque haec si est sententia, haec verba semper arte coniunguntur; ter tantum in brevibus interrogandi formulis alia vocula intercessit Phorm. 211 *Satine sic est?* ibid. 1047 *Satin tibist?* et fortasse Eun. 810 *Satis tibi est?* (cf. Bentl).[2]) Quod si Sp. ‚sat esse‘ scribi mavult, cum ad Andr. v. 710 hoc monet: „sat habere, nicht ‚satis habere‘ ist die stehende Formel, wie auch immer ‚sat est‘ und ‚sat esse‘ und ‚sat agere‘“, dubito an virum doctum opinio fefellerit;[3]) nam ex accurata huius rei observatione hic potius cognoscitur usus: ‚sat est‘ semper dicitur in fine versus; causa perspicua est; cf. Andr. 170, Phorm. 541. 604, Hec. 236, Ad. 834; item truncata forma adhibetur, si ‚erat‘ accedit nimirum ob numerorum rationem; cf. Eun. 736, Phorm. 786. 797; ‚satis est‘ utique dicitur in medio versu; cf. Andr. 903, Heaut. 641, Phorm. 724. 1029, Ad. 774; ‚satis sit‘ Andr. 705 et Hec. 783; neque cur non dicatur h. l. ‚satis esse‘ intellegimus. Denique nullo modo fieri potest, quin ‚nonne‘ particulam admittamus, ut quam non usus scaenicorum[4]) sed loci sententia respuat. Quare fortasse hic est Terentianus versus:

Falsu's :: *Non tibi satis esse hoc solidum visumst gaudium —?*

Sed iam eos locos spectemus, ubi copula omissa videtur. Primus est
Ad. 741 sq. *Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.*
:: *Corrector! nempe tua . . . .*

‚Corrector‘ nominativus quidem est, sed non idem est atque ‚corrector es‘; nam istud ‚Corrector‘ ab ultima voce contradicentis, ut solet ab iratis, petitum et partim per exclamationem partim per interrogationem pronuntiatum, si volumus id, quod sola pronuntiatione significatur, ipsis verbis exprimere, hanc vim habet ‚te correctorem esse!‘ vel ‚ecce correctorem!‘ Eadem est res

Andr. 702 sq. PA. *Quis videor?* CH. *Miser aeque atque ego.* DA. *Consilium quaero.*
CH. *Fortis!* PA. *Scio, quid conere.*

Sic recte Speng.[5]) — Cum et Char. et Pamph. valde adhuc indignati sint, ‚Fortis!‘ non nisi cum ironia dicitur; et hoc significat „Du bist ein schöner Held!“ Quare sat languida evaderet sententia, si ‚Forti's‘ scriberemus. Non placet Bentlei et Fleckeiseni personarum dispositio; nam, quia et Char. et Pamph. servi consiliis deceptum se iudicat, aptissime uterque in eum invehitur, cum nova consilia promissum eat. Scilicet etiam ‚Scio, quid conere‘ verba cum ironia dicta sunt et significant „Ich kann mir schon denken, was das wieder werden wird!“ Ad quae bene accedit servi responsio „Diesen Plan werde ich dir sicherlich

---

[1]) Quod Don. eam omisit, nullius est momenti in hac quidem re; omnino non opus erat ei copulae formam respicere, quippe qui ‚falsus‘ vocis ambiguitatem sensum modo activum modo passivum induentis exponere in animo habuerit.

[2]) Etiamsi h. l. nolis hanc formulam agnoscere et ‚satis‘ cum ‚solidum‘ malis coniungere, Terentium etiam in hac condicione harum vocum coniunctionem adamasse, discimus ex Phorm. 541. 1029; Hec. 236 et Ad. 774.

[3]) Fugit Spengelium Heaut. 641 '*quidvis satis est* et Phorm. 724 *Non satis est tuom te officium fecisse.* An etiam his locis, cum istas fabulas edet, suam rationem inculcabit? At ipse non veritus est scribere Andr. 903 *Pro peccato magno paulum supplici satis est patri.* Etiam Phorm. 1029 et Ad. 774 traditum est ‚satis est‘, quamquam in his quidem exemplis non habemus formulam illam; sed quid tandem ea in tali potissimum re peculiare habet? Terentium vicissim, ubi non exstat formula illa, dicere ‚sat est‘, discimus ex Phorm. 541 *Ah, dictum sapienti sat est* et Hec. 236 *non signi hoc sat est —?*

[4]) Cf. Paul Schrader „De particularum — ne, anne, nonne apud Plautum prosodia.“ Strassburger Inauguraldissertation. 1885.

[5]) Bentl.: CH. *Forti's,* | *Si quid conere;* Fleck. PA. *Forti's* | *Scio, quod conere.*

zu Erfolg bringen.“ Pamphilum autem verbis illis non conscium se consilii significare velle, apparet ex subsequenti interrogatione ›Quid facies? cedo!‹

Nullum sane negotium facessit Phorm. 411 *Hahahae, homo suavis,* cum Dziatzkone ›suavi's‹ scribere; sed inutilis est haec mutatio, quippe cum ›homo suavis‹ non idem valeat atque ›homo suavi's‹; nam non habemus appellationem, ita ut rectius de ›est‹ supplendo cogitemus. Quod si Dzi. eiusdem fabulae v. 1046 *Mulier sapiens es, Nausikaa* ad comparationem vocat, h. l. alia est res, cum iam appellatio addita sit. Huc pertinent etiam

Phorm. 526 *Minume, dum ob rem* :: *Sterculinum* :: *Dorio.*

Eun. 806 *Meam sororem* :: *Os durum* :: *Miles, nunc adeo edico tibi,*

Heaut. 223 *Astutus* : *ne ille hau scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.*

›Astutus‹ non idem est atque ›Astutus est‹, sed subiectum est subsequentis enuntiati atque id ex perspicua ratione in ipso initio positum, ut nos dicimus „Der Schlaukopf! er merkt wahrhaftig nicht etc.“ Cf. etiam

Andr. 844 sq. *Scelus,* | *Quemnam hic laudat?* [1])

Sequitur Phorm. 324 *O vir fortis atque amicus!*

Don. adn.: „nominativum pro vocativo posuit.“ Quod recte se habet; nam constat haud infrequenter nominativum, ubi non est casus subiecti sed nominandi tantum, pro vocativo poni.[2]) Ceterum videas Eun. 650 *O festus dies! amice, salve.* Stich. V, 6. 3 *Meus oculus, da mihi suavium.* Asin. III, 3. 74 *Da meus ocellus, mea rosa, mi anime, mea voluptas.* ibid. III, 3. 101 *Mi Libane, ocellus aureus, donum decusque amoris,* etc. Nequaquam autem cop. desideratur neque omnino addi potest, si ›vir f. atque a.‹ verba in casu nominandi posita sunt; nam habemus appellationem tantum, non iudicium per exclamationem factum, ut est, si Bentleium, Fleck. et Dzi. secuti legimus ›O vir fortis atque amicu's‹.

Casus vocativus exstat

Eun. 579 sq. *adnuo* | *Terram intuens modeste* :: *Miser* :: *Ego* . . . .

Adhuc igitur nullum habemus exemplum copulae in tali sententiae condicione omissae. Sed iam videamus Ad. 852 *Derides? fortunatus, qui isto animo sies.*

Plerique in tradita scriptura conquieverunt; Fleckeis.: ›fortunatu's‹; Sp. haesitat adscribens: „›fortunatus, qui‹ wie im Deutschen: Glücklicher, der du...! Doch kann man es auch als fortunatu's (f. es) nehmen.“ Olsenum non oportet dicamus ellipsin ›es‹ verbi statuisse. Sane inest aliquid in hoc exemplo, quod eius sententiae faveat; nam inveniuntur exempla eiusdem structurae, ubi prima pers. copulae omissa est velut Hec. 564 *Sed ego stultior, meis dictis qui — postulem.* Merc. V. 2. 79 sq. *ego stultior* | *Qui isti credam.* Amph. prol. 56 sq. *sed ego stultior,* | *Quasi nesciam vos velle, qui divos siem.* Mil. II, 4. 17 sq. *Ego stulta et mora multum,* | *Quae fabuler,* [3]) Cic. ad Att. IV, 15. 6 *ego ineptus, qui scripserim.* Hor. Sat. II, 3. 236 *segnis ego indignus, qui tantum provideam.* Non accedente alia enuntiatione legitur Men. IV, 2. 58 *Ne ego ecastor mulier misera!* Caec. fragm. 9 *sed ego stolitus!* Nihilominus etiam dubito in illo v. Ad. 852 omissionem copulae admittere. Namque primum videmus et in versu illo Hec. 564 et locis Plautinis omnibus, ubi ›sum‹ omissum est, pronom. saltem primae pers. positum esse, ita ut h. l. ›tu‹ exspectaremus additum. Nam exemplum illud, quod praeter illa Ols. adnotavit Mil. II, 5. 33 *Immo ecastor stulta multum, quae vobiscum fabuler.* comparari nequit, cum antecedat ›Mala's‹; pertinet igitur hoc exemplum, ad id genus ommissionis, ubi in responsione cop. omittitur, si in priore sententia iam erat posita. Neque Pers. II, 3. 9 *Stultus, qui hoc mi daret argentum, quoius...* idoneum est exemplum, quod ad comparationem vocetur, nam ›stultus‹ in modum appositionis coniungitur cum praegressa sententia:

Nam erus meus me Eretriam misit, domitos boves uti sibi mercarer:

Dedit argentum: nam ibi mercatum dixit esse die septimi:

Ceterum si omnino quid supplendum foret, ex ›daret‹ coni apparet non ›est‹ sed

[1]) Cf. Speng. ad hunc locum.

[2]) Cf. Holtze l. l. I pag. 20 sq.

[3]) Ritschl., qui offendebat in subfrigida coniunctione verborum idem significantium, pro ›mora‹ cum CD scripsit ›moror‹; sed haud scio an recte Ols. coll. v. II, 5.33 *Immo ecastor stulta multum, quae vobiscum fabuler* vulgatam scripturam retineat.

praeteriti temporis verbum supplendum esse, de qua re haud verisimiliter cogitatur; immo ipse ›daret‹ coniunctivus firmissimum est indicium, quo verba ›Stultus, qui h. m. daret...‹ artissime cum antecedentibus praedicatis ›misit — dedit — dixit‹ cohaerere neque quicquam esse omissum cognoscamus. Deinde, quod Ols. monet in omnibus illis ennuntiationibus relativis, si desit in primaria sententia ›sum‹, verbum in coniunctivo positum esse, cum sequatur indicativus, si ›sum‹ exhibeatur, hoc ex una tantum parte verum est; altera ex parte concidit haec observatio, cum videmus et Plautum et Terentium, etiamsi cop. in primaria sententia posita est, tamen coniunctivum nequaquam aspernari velut Heaut. 1011 *Iniquos es, qui — postules.* Truc. IV, 2. 17 *Stultus es, qui — postules.* Curc. IV, 3. 19 *Stultior stulto fuisti, qui — crederes.* etc. Quare coniunctivus ›sies‹ illo loco Ad. 852 haud ita firmum est argumentum, ex quo copulam in primaria sententia omissam esse statuamus; itaque nescio an nostro iure facillima vel potius nulla mutatione usi ›fortunatu's‹ scribamus. Quod Ols.

Phorm. 170 *Beatus, ni unum desit, animus, qui modeste istaec ferat.*

similiter esse comparatum exemplum iudicavit atque hunc Adelphorum locum, egregie erravit; etenim omnino perperam intellexit locum, cum ioculari errore ›Beatus‹ et ›animus‹ verba coniungeret. Copulae autem omissae hic versus certe non est exemplum, quod ›Beatus‹ perinde ac illo loco Pers. II, 3. 9 ›Stultus‹ cum ea, quae antecedit, enuntiatione in modum appositionis cohaeret; quod intellegentes idem viri dd., qui Ad. 852 ›fortunatu's‹ scripserunt, hunc quidem locum non temptavere. —

Restant duo loci, qui hic afferendi sunt, Ad. 540 et 960. Priore loco traditum est:

Ne ego hómo sum infelix: prímum fratrem núsquam invenio géntium:

ita ut versus iamb. octonarius sit. Quoniam autem vv. dd. inde a Bentleio eum perinde atque subsequentes versus troch. septenarium esse voluerunt, partim cum illo ›sum‹ partim cum G. Hermanno ›primum‹ deleverunt.[1]) Si ab ipsis verbis proficiscimur, ne minimam quidem versus movet offensionem; immo ›primum‹ adeo non molestum vel superfluum videtur, ut, quia sequitur ›Praetera autem‹ haud facile careamus; ›sum‹ autem copula, etsi per se, ut vidimus, ›ego‹ pronomine addito deesse posset, item haud facile caremus ob prorsus similem locum Heaut. 825 *Ne ego homo sum fortunatus* in eadem versus sede exhibitum, ad quem addas etiam Amph. I, 1. 169 *Ne ego homo infelix fui.* Versus igitur ex omni parte persanus est, ita ut, nisi gravissimae accedunt metricae suspiciones, unicuique mutationi vel maxime diffidendum sit. Atque haud scio an iniuria homines dd. octonarium versum respuerint. Namque primum, si in medio cantico unus oct. iamb. praemittitur troch. septenariis velut Phorm. 492; Hec. 521; Ad. 294. 320, non video, quare non etiam facilius id in ipsius scaenae et cantici initio excusetur; ceterum Andr. 227 scaena uno iamb. oct. concluditur et Phorm. 485, nisi quod antecedit brevissima trochaica clausula — ∪ — V, scaena ab uno iamb. oct. incipiens troch. septenariis continuatur; adiunge etiam Ad. 958, ubi novissimus scaenae versus constat ex prima parte iamb. octonarii, cuius ab altera parte incipit proxima scaena, cum statim sequantur troch. septenarii. Quae cum ita se habeant, versum non temptandum iudicaverim. Ceterum video etiam Spengelium versum ita, ut traditus est, servare hac mensura *Ne ego hómŏ sum infélix...*, de qua non dubitandum est. — Altero loco exstat:

O noster Demea, edepol vir bonu's.

In Bembino in margine servatum est ›(bo) NUC‹; etiam C[1]FP ›es‹ om.

Ante Olsenum nemo de ›es‹ admittendo dubitavit, et recte quidem. Etenim iam satis vidimus in tali exclamationum genere Terentium adeo non solere copulam omittere, ut iam per se haud diu dubitem copulae formam contra Olsenum tueri. Neque deest aliud, quod huic rationi faveat. Cum enim comparaverimus Epid. I, 1. 68 *Heu, edepol res turbulentas.* Poen. II, 2. 26 *Heu, edepol mortales malos.* Pseud. I, 5. 104 *Edepol mortalem graphicum.* Ad. 783 *Edepol commissatorem haud sane commodum.* etc., elucet, si Terentius verba illa ›edepol vir bonu's‹, quae speciem tantum habent exclamationis, om. copula veram voluisset esse exclamationem, futurum fuisse, ut non nominativum sed accusativum casum ponens sine appellatione ›O noster Demea‹ scriberet ›edepol virum bonum!‹ Cf. etiam Eun. 311 *Hoc hercle factumst.*, contra ibid. 254 *Scitum hercle hominem!* Denique videamus

Hec. 503 *Ecce autem tu quoque proterve iracundus es.*

[1]) Cf. etiam Conr. l. l. pag. 67.

Veram exlamationem habemus

Andr. 248 *Quot modis contemptus, spretus! facta transacta omnia. hem* ubi omissio »sum« verbi in priore membro, quoniam subiectum »ego« non positum est, satis notabilis eo lenitur, quod haec verba cum antecedentibus *Nullon ego Chremetis pacto adfinitatem ecfugere potero?* mente quidem cohaerent.

Iam ad novum genus omissi verbi subst. transeamus, quod quidem latissime patet, atque primum liceat aliquot huius generis exempla adscribere:

Andr. 108 sq. *Curabat una funus : tristis interim,*
Non nunquam conlacrumabat.
ibid. 284 sq. *iam ferme moriens me vocat:*
Accessi : vos semotae. nos soli : incipit.
„ 361 sq. *Non cohaerent'. :: Quorsum nam istuc? :: Ego me continuo ad Chremem.*
Quom illo advenio, solitudo ante ostium : iam id gaudeo.
„ 890 sqq. *Quid 'mi pater'? quasi tu huius indigeas patris.*
Domus, uxor, liberi inventi invito patre.
Adducti, qui illam civem hinc dicant : viceris.
Eun. 540 sq. *Chaeream ei rei*
Praefecimus : dati anuli : locus, tempus constitutumst.
Phorm. 84. *Neque quod daretur quicquam : id curarant patres.*[1])
ibid. 98 sqq. *Neque notus neque cognatus extra unam aniculam*
Quisquam aderat, qui adiutaret funus, miseritumst.
Virgo ipsa facie egregia'. quid verbis opust?
„ 103 sq. *imus, venimus,*
Videmus : Virgo pulchra.
„ 133 sq. *Pater aderit. mihi paratae lites : quid mea?*
Illa quidem nostra erit.
Hec. 179 sqq. *Miris modis odisse coepit Sostratam*
Neque lites ullae inter eas, postulatio
Nunquam.
Ad. 94 sqq. *non fratrem videt*
Rei dare operam ruri parcum ac sobrium?
Nullum huius simile factum.
ibid. 228 sqq. *O scelera! illud vide,*
Ut in ipso articulo oppressit! emptae mulieres
Complures et item alia . . .

Qui loci omnes vel in alacri narratione vel omnino in vivida oratione exstant et maximam partem brevibus ac concisis sententiis continentur. Videmus praedicata ubique sine copula posita esse, cuius rei perspicua est causa, nimirum ut agitetur aliquantum oratio et affectatione quadam et impetu imbuatur; et, si his locis Terentium saepius quam ex eis, quae adhuc disputavimus quaeque postea disputaturi sumus, exspectamus omissione verbi subst. usum esse videmus, id eo excusari certum est, quod in hoc dicendi genere ut quaeque ellipsis genera ita verbi subst. omissionem cum maxime propriam atque legitimam habere sedem inter omnes constat. — Eadem atque in superioribus exemplis res est etiam

Andr. 356 sq. *Circumspicio; nusquam. forte ibi huius vidi Byrriam;*
Rogo : negat vidisse. mihi molestum. quid agam cogito.
Ad. 203 sq. *testes faciet ilico,*
Vendidisse me, de argento somnium. 'mox : cras redi'.
ibid. 790 sqq. *Em tibi,*
Rescivit omnem rem : id nunc clamat scilicet :
Paratae lites : succurrendumst.

---

[1]) In eadem oratione paullo ante »fecit« omissum est; cf. v. 80 *noster mali nil quicquam primo: hic Phaedria.*

Eadem igitur hic ratione adiectivis vel participiis sine verbo subst. utuntur,[1]) qua alias apud proprium verbum pro finito modo infinitivus adhibetur, qui male inf. absolutus, prorsus falso inf. historicus appellatur. Quod nos docent inprimis tales loci, quibus adiectiva vel participia sine copula iuxta infinitivum proprii verbi exstant, velut

Ad. 44 sqq. *Ille contra haec omnia*
Ruri agere vitam : semper parce ac duriter
Se habere : uxorem duxit : nati filii
Duo: inde ego hunc maiorem adoptavi mihi.[2])

Huc etiam pertinet alius locus, si recte libris exhibetur, Andr. 63 sqq.

Cum quibus erat quomque una, eis sese dedere
Eorum obsequi studiis : advorsus nemini :
Nunquam praeponens se illis : ita ut facillume
Sine invidia laudem invenias et amicos pares.[3])

In his et prioribus locis copula omissa quidem est, sed excusatur omissio ipsa sermonis natura. At ne mente quidem suppleri debet verbum subst. hoc loco:

Andr. 358 sqq. *Redeunti interea ex ipsa re mihi incidit »suspitio 'hem,*
Paululum obsoni : ipsus tristis : de improviso nuptiae :
Non cohaerent'.«

Etsi structura quidem sententiaque verborum ad »paululum obsoni« et »ipsus tristis« licet »est« supplere, tamen ut »sunt« ad »de improviso nuptiae« suppleas ob sententiam nullo pacto fieri potest; iam hoc signum est nihil usquam supplendum esse; immo istaec sunt verba secum reputantis, qui singula enumerat et ad id procedit iudicium »non cohaerent«. Quam apta sit haec ratio dicendi secum reputantibus, docet etiam Heaut. 635 sqq.

interemptam oportuit,
Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitae dare.
At id omitto : misericordia, animus maternus : sino.

ubi, si quid supplere vis, de »te impulerunt« cogitandum est. Itaque fortasse cum Bentleio

Phorm. 293 sqq. *Mitto omnia.*
Do istuc 'imprudens timuit adulescens' : sino
'Tu servos' : verum si cognatast maxume

---

[1]) et nonnunquam »esse« verbi formas vel ubi non habemus copulam sed proprium verbum omissas videmus velut Andr. 356, Ad. 96 all.

[2]) Quamvis non sit conexum cum hac quaestione commemoraverim v. 44 Wagnerum et Speng., quibus Dzi. adstipulatur, contra Fleckeisenum post »omnia« gravius distinctionis signum posuisse, quod »contra« apud Terentium semper adverbium esset; itaque ad »contra« mente supplendum esse verbum agendi statuunt. Equidem dubito cum illis facere propter similem locum Phorm. 520 sqq.

Ego te compluris advorsum ingenium meum mensis tuli,
Pollicitantem et nil ferentem, flentem: nunc contra omnia haec
Repperi qui det neque lacrumat: da locum melioribus.

Quo loco ne »contra« pro adverbio positum esse ducamus, prohibet, credo, ipsa loci sententia; nam si verbum agendi supplendum esset, »omnia haec« ad sequentia pertinerent, id quod nullo modo fieri potest, cum nil nisi »repperi qui det neque lacrumet« subsequatur; at optime illa verba cum antecedentibus conectuntur.

[3]) Sane insunt aliquot offensiones, quibus adductus Bentl., quem Fl. secutus est, falsarii manum suspicatus ita locum constituit: *Eorum studiis obsequi [adversus nemini:*
Nunquam praeponens se illis] ita [ut] facillume. —

Spengelius servatis illis verbis, quae Bentl. spuria esse voluit, ob anapaestum »studiis« in tertio pede senarii ita scripsit: *Eorum obsequi studio, esse advorsus nemini:*; sed haud scio an, si »esse« inducamus, »esse advorsum nemini, nunquam praeponentem se illis« scribere debeamus, quod versui incommodo est. Quocunque modo res se habet, — reliqua nunc non curo, ne longius a re mihi proposita aberrem — hoc unum quidem certum est. in eo, quod vel maxime Bentleium ut verba illa inclusa subditicia indicaret adduxisse videtur, nil esse offensionis. Nam quod dicit vitiose transire orationem ab infinitivis ad adiectiva, conferendus est locus supra laudatus Ad. 44 sqq.; et cui hic locus, quia non prorsus est similis, non persuaserit in tali re nihil esse offensionis, is fortasse concedet non minus notabile esse adiectivum om. copula inter verba finita intermissum velut illo Andriae loco: *Curabat una funus: tristis interim, | Nonnunquam conlacrumabat.*

in tradita scriptura conquiescendum est.[1]) — Huc pertinet etiam

Phorm. 104 sqq. *et quo magis diceres,*
Nil aderat adiumenti ad pulchritudinem :
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida,
Lacrumae, vestitus turpis.[2])

Similes loci sunt:

Heaut. 290 sq. *Capillus passus prolixe et circum caput*
Reiectus neglegenter, pax. et

Eun. 317 sq. *Quid tua istaec? :: Nova figura oris :: Papae.*
:: *Color verus, corpus solidum et suci plenum. :: Anni? :: Anni? sedecim.*

Iam nemo desideret verbum subst.

Hec. 439 sqq. *At faciam, ut noveris:*
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius,
Cadaverosa facie.

Singula h. l. describendo enumerantur similiter ac fit alio rerum conexu

Heaut. 1032 sqq. *At ego, si me metuis, mores cave in te esse istos sentiam.*
:: *Quos? :: Si scire vis, ego dicam : gerro, iners, fraus, helluo,*
Ganeo, damnosus.

Compluria etiam enumerantur hoc loco, de quo iam supra dictum est:

Phorm. 248 sqq. *Meditata mihi sunt omnia mea incommoda, erus si redierit:*
Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendae compedes,
Opus ruri faciundum : horum nil . . .

Gerundia hic substantivorum, gerundiva adiectivorum partibus funguntur; copula autem nullo pacto desideratur. —

Aliud genus omissionis eis locis invenitur, qui proverbii fere brevitatem attingunt, velut Ad. 867 sq. *Duxi uxorem : quam ibi miseriam vidi! nati filii, | Alia cura.*

In hoc genere sententiarum cum summa brevitate verba componi non opus est dictu. Huc pertinent haec exempla: Andr. 164 *Mala mens, malus animus.* et

Heaut. 643 *Melius peius, prosit obsit, nil vident nisi quod habent.*

In his quidem exemplis non magis verbum subst. cogitatione assumendum est quam in notissimo illo dicto ›summum ius, summa iniuria‹, sed singula membra nude opponuntur, ellipsis vero non est; contra veram ellipsin cognoscimus in Arist. Pax. v. 1068 ὦν δόλιαι ψυχαί, δόλιαι φρένες et in hoc Terentiano loco:

Phorm. 454 *Quot homines, tot sententiae : suos quoique mos.*

quod in utroque loco ea est constructio verborum, ut ›esse‹ verbi vis sentiatur. — Simili modo atque illa proverbia ›Mala mens, malus animus‹ et ›Quot homines, t. s.‹ all. nescio an coorta sit etiam haec locutio ›dictum factum‹ vel ›dictum ac factum‹;[3]) membra opposita sunt et ita in formulae usum abierunt, quae per parenthesin illata reliquae sententiae structuram nullo modo infringit. Eugraphii autem explicationem ad Heaut. 760 *dictum [ac] factum reddidi* : „h. e. cum dixisses, factum continuo reddidi," ad quam Wagn. hoc addit: „also ›factum‹ Objekt zu ›reddidi‹", patet ad hunc ipsum locum compositum esse neque iustam illorum verborum vim significare, quam ex ceteris locis perspicimus; cf. etiam praeter illum Andriae locum

Heaut. 904 *Dictum factum hinc abiit Clitipho.*

Ad proverbiorum brevitatem pertinet etiam, quod legimus Andr. 61 *ut nequid nimis.* (scl. agas) et ibid. v. 126 *hinc illae lacrumae!* (scl. sunt). —

---

[1]) Fleckeis., alii ›Tu servo's‹.

[2]) ubi, quamquam ad reliqua membra enumerationis posset quidem accedere ›est‹, num etiam ›sunt‹ potest ad ›Lacrumae‹?

[3]) Andr. 281; Heaut. 760, 904, ut Graeci loquuntur ἅμ᾽ ἔπος, ἅμ᾽ ἔργον.

Proximum his exemplis est illud genus omissi verbi subst., ubi generale aliquod iudicium profertur velut Cic. Lael. 21, 79 *omnia praeclara rara;* de fin. 2. 32, 105 *iucundi acti labores.* Huc pertineret

Ad. 98 sq. *Homine imperito nunquam quicquam iniustius,*
Qui nisi, quod ipse fecit, nihil rectum putat.

Ita Bemb. quidem; sed quod generalis illa sententia non per se solum profertur, sed coniuncta cum alia sententia, haud scio an recte Umpf. et Fleckeis. libros Call. et Donatum secuti „iniustiust“ scripserint. Alia profecto res est his locis:

Andr. 437 *Potin es mihi verum dicere?* :: *Nil facilius.*
Eun. 50 *Siquidem hercle possis, nil prius neque fortius.*

Haec sunt brevia iudicia atque prius per se solum positum et alterum, quia sequitur enuntiationem secundariam, et ipsum aliquantum liberius; praeterea ll. mss. consentiunt et altero loco etiam Charisii testimonium exstat. [1]) Ad hos igitur locos, ut qui dissimiles sint, non debet provocare qui illo loco Adelphorum copulam omittere vult; et quod Bembinus eam omisit, id dicendum est, incuria librarii facilius „est“ post „— us“ syllabam ad unam lineolam imminutam intercidere quam addi potuisse. Sed consulto i. e. ab interpolatore adiungi potuit! — Sane potuit, sed vix credi potest revera id hoc potissimum loco factum esse; nam nonne perquam mirum foret, si hunc ipsum locum, ubi nos ex certa ratione verb. subst. desideramus, interpolator aliquis verbo subst. addito temptavisset, contra omnes eos locos, ubi nos non desideramus, non sollicitasset; cur non ad „Nil facilius“ copulam addidit vel ad „nihil prius neque fortius“, ubi profecto non minus facile addere poterat? An, quod de casu quodam non licet cogitare — nam manifesta foret ratio interpolandi — putemus tam acute ac subtiliter interpolatorem illum diversam exemplorum naturam perspexisse? At qui hoc poterat, eum etiam putare licet linguae latinae leges doctum fuisse atque intellegere potuisse, utrum h. l. verbo subst. opus esset necne; et si non opus fuisset, etiam non de suo addidisset, nisi forte quis eum somniantem vel oblectationis causa interpolasse credit; tales autem interpolatores in Terentianis quidem libris non novimus. Ceterum, si haec est structura enuntiati, de facto solitum esse Terentium verbum „est“ adponere, discimus ex hoc simili loco:

Eun. 1051 sq. *nil est Thaide hac, frater, tua*
Dignius, quod ametur.

Vel in sententia per se solam posita, si additamentis extensior fit, verbum subst. ponitur, quod intellegimus ex Heaut. 699 *At enim istoc nil est magis, Syre, meis nuptiis advorsum,* ubi verbum subst. non post „— us“ syllabam positum facilius est servatum. Sed Olsenum timeo, ne obiciat apparere ex his exemplis aliisque usum fuisse post „nihil“ vocem „est“ adiungendi ideoque nos falso suspicari post „— us“ terminationem illo loco Men. IV, 2. 51 copulam intercidisse. At haud raro etiam hanc habemus collocationem velut Heaut. 675 *Nihil tam difficilest* et ibid. 234 *Quin nil iam praeter pretium dulce est.* Quod autem Brixius in illis exemplis Andr. 437; Eun. 50; Men. IV, 2. 67; Most. I, 3. 122 causam omissionis in negatione positam esse iudicat, hoc aperte falsum est. Neque quod cum comparativo „nihil“ coniunctum est, ullius momenti est. Immo haec sunt res fortuitae, et nimirum ex ipsarum sententiarum ratione causas omissionis repetamus oportet; atque pertinent haec exempla ad id genus omissionis, ubi, ut supra dictum est, iudicia, que concisa sunt forma, gravitate quadam proferuntur; nam idem genus omissionis exstat etiam his locis: Andr. 138 *nec satis ad obiurgandum causae*; ibid. 149 sq. *ne haec quidem* | *Satis ad obiurgandum causae*; ibid. 970 *Pater amicus summus nobis* (scl. est); Eun. 288 *mira vero militi quae placeant*; Heaut. 119 *Ambo accusandi* (scl. estis); ibid. 521 sqq. *Mulier commoda,* | *Faceta haec meretrix* :: *Sane* :: *Idem visast tibi?* | *Et quidem, ere, forma luculenta* :: *Sic satis.*; ibid. 933 sq. *Difficilem ostendes te esse et ignosces tamen* | *Post, et id ingratum.* —

[1]) Conferre iuvat hos Plauti locos:
Men. IV, 2. 67 *Nihil hoc homine audacius.*
Most. I, 3 122. *Nihil hac docta doctius.*
quibus locis vix recte Ritsch. copulam ascivit „audaciust“ et „doctiust“ scribens; sed recte sine dubio copulam apposuit Men. IV, 2. 51 *Nihil hoc confidentiust, qui, quae vides, ea pernegat.* quod similis est rei condicio atque in illo Adelphorum loco.

Opportune hic adiunguntur ei loci, ubi in conclusione vel cum antecedentia comprehendantur cop. omissa est velut

Heaut. 195 sq. *Atque haec perinde sunt ut illius animus, qui ea possidet:*
Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala. [1]),

ubi tamen ex antecedentibus ad ⸗bona⸗ et ad ⸗mala⸗ haud facile copula suppletur. Cf. etiam

Phorm. 319 sq. *ferme eadem omnia.*
Quae tute dudum coram me incusaveras.

Ad. 687. *Jam id peccatum primum magnum, magnum at humanum tamen.*

Heaut. 460 sq. *Relevi dolia omnia, omnis serias,*
Omnis sollicitos habuit: atque haec una nox. —

Iam in sententiis interrogativis quinam sit usus videamus; atque primum paucis absolvamus ⸗quid⸗ et ⸗quid est⸗ locutiones. Sane hic non agitur de illo ⸗quid⸗, quo quod antecedentis sententiae subiectum vel obiectum quaeritur velut

Ad. 906. *Vin tu seni auscultare?* :: *Quid?* :: *Missa haec face.*

sed de illa locutione, qua aeque ac pleniore forma ⸗quidest⸗, quaerimus, quid rei sit, velut Phorm. 742 sq. *Quid? non obsecro es, | Quem semper te esse dictitasti?*

Alia huius modi exempla exstant Eun. 245; ibid. 463; Phorm. 545; Hec. 360 etc. etc. Verum ne dictum putes hoc ⸗quid?⸗, praeterquam quod cop. omissa est,[2]) eandem esse locutionem atque pleniorem formam ⸗quid est?⸗. Immo utraque locutio suam ac propriam habet vim. Etenim harum locutionum usus ita est distinctus, ut ⸗quid?⸗ semper aliam eamque veram interrogationem praecedat velut in exemplis supra adscriptis, cum ⸗quid est?⸗ plerumque per se solum alia interrogatione non subsequente ponatur, velut Andr. 383 *Dic te ducturum* :: *Hem* :: *Quid est?* et ibid. 704 *Quin iam habeo* :: *Quid est?* Alia exempla sunt Andr. 116. 118. 323. 551. 732. 860 etc. ⸗Quid?⸗ igitur idem significat ac nostrum „wie?“ velut „wie? du bist nicht der, für den du dich immer ausgegeben hast?“, contra ⸗Quid est?⸗ respondet his nostris locutionibus „was ist es?“ vel „was giebt es?“, atque semper talis interrogatio ⸗quid⸗ locutione praecedente admirationis speciem prae se fert. Ex re ipsa patet etiam ⸗quid est?⸗ alii interrogationi praeponi posse, quod tunc fieri solet, si ea quae subsequitur interrogatio et ipsa a ⸗quid⸗ pronomine incipit; causa perspicua est; cf.
Hec. 614 sq. *Quid est? | Quid vis facere nisi reducere?* etc.

Quamvis licet minutissimi sit momenti haec observatio, tamen resultant dubitationes coniecturarum parentes. Atque his quidem dubitationibus adductus omnino de hac re hoc loco agere volui. Videtur enim Phorm. 411 *Hahahae, homo suavis* :: *Quid est? num iniquom postulo?* ⸗quid est?⸗ contra usum Terentianum positum esse. Sane exspectaremus ⸗Quid? num iniquom postulo?⸗. Non multae quidem auctoritatis penderem hanc coniecturam, si ex sensus tantum mei iudicio enata esset, sed accedit certius argumentum. Etenim lustrantes omnes eos locos, ubi ⸗quid est?⸗ positum est — et sunt triginta fere loci — semper hos numeros deprehendimus aut ⸗quid ést?⸗ aut ⸗quīd ĕst?⸗, nusquam autem ea mensura invenitur, ut ⸗quid⸗ sub ictu iaceat. Qua re fortasse recte suspicor hoc loco ⸗Quid?⸗ pro ⸗Quid est?⸗ scribendum esse.[3]) — Contra meam rationem facere videtur etiam Heaut. 848, ubi auctore Bentleio Umpf. et Wagn. cum libris Call. scribunt.

Quaeso quid tu hominis es? :: *Quid?* :: *Jamne oblitus es*,

ita ut ⸗Quid?⸗ h. l. eodem sensu exhibeatur atque alias ⸗quid est?⸗; sed A habet ⸗Quid est?⸗, atque in tali mensura ⸗Quīd ĕst?⸗ non offendere debere certum est coll. Andr. 237 et 732. Ceterum Fleckeis. ci. ⸗homini's? :: Quidnamst?⸗. Neque Ad. 404 *Quid autem?* :: *Adortust iurgio fratrem apud forum.* impugnat ea, quae contendi: nam ⸗Quid autem?⸗ non idem significat atque plenior locutio ⸗quid autemst?⸗, sed valet ⸗quare autem?⸗ et pertinet ad

[1]) De hoc loco postea paullo fusius agendum erit.

[2]) Ceterum non minus recte nonnullis locis de ⸗ais⸗ quam de ⸗est⸗ supplendo cogitaremus, si omnino quid supplendum esset.

[3]) Iam Bentl. del. ⸗est⸗ versus gratia.

antecedens ‚iratum‘.[1]) Similiter res se habet Ad. 646 *Huc advocatum sibi* :: *Quid?* :: *Ego dicam tibi.*, ubi ‚Quid?‘ (scl. advoc. s. abduxit) idem significat atque illud vernaculae linguae „zu was?“[2])

Similiter ac in ‚quid?‘ et ‚quid est?‘ usus distinctus est in ‚quid istuc?‘ et ‚quid istuc est?‘ formulis adhibendis. ‚Quid istuc est?‘ formula et aliae similes tunc usurpantur, cum quid rei sit vel quid agatur quaeritur, et semper solae ingrediuntur velut.

Andr. 644 sq. *Etiam nunc me ducere istis dictis postulas?*
:: *Quid istuc est?* :: *Postquam me amare dixi, complacitast tibi.*

Item ibid. 941,[3]) Phorm. 58. 257, Hec. 743, Ad. 465; ‚quid hoc est?‘ Hec. 314; ‚quid illud est?‘ Andr. 237; ‚quid id est?‘ Andr. 449. 686, Eun. 571. 1072, Heaut. 180. 332. — ‚Quid istuc?‘ et similia adhibentur ita, ut introducant aliam eamque popriam interrogationem velut

Eun. 650 *quid istuc? quid festinas? aut quem quaeris, Pythias?*

Cf. etiam ibid 947 sq., Heaut. 562, Ad. 984. — Idem est usus in ‚qui istuc?‘ formula adhibenda, quod poeta, cum sensu nil differat a ‚quid istuc?‘ promiscue cum hac formula usurpat, prout haec aut illa numeris est commodius; cf. Heaut. 251 et 985. Sed haec quidem formula non ad nostram rem pertinet, nam v. subst. neque omissum est neque omnino addi poterat. Idem cadit in has formulas ‚quid istic?‘, ‚quid ita?‘, ‚qui ita?‘, ‚quid tum?‘. Restat autem, ut commemoretur ‚quid hoc?‘; cf.

Andr. 468 sq. *Quid hoc?* | *Adeon est demens? ex peregrina? . . . iam scio: ah.*

Non iustae quidem praemissum interrogationi sed nihilominus simili vi adhibitum ‚quid hoc autem?‘ invenitur Heaut. 1000 *Quid hoc autem? senex exit foras.* At tamen semel poetae contrarium huic rationi placuit Phorm. 177 *Sed quid hoc est? videon ego Getam,* et etiam brevior formula ‚qui istuc?‘ sola posita est non subsequente alia interrogatio Phorm. 330 *Qui istuc?* :: *Quia non — milus.* Sed nescio an Phorm. 156 *Quid istuc? Rogitas? qui tam audacis fácinoris mihi cónscius sis?* ‚conscius sis‘ mutato in ‚conscius es‘ (= ‚consciu's‘)[4]) retinendum sit librorum ‚Quid istuc est?‘; ‚sis‘ enim coniunct., quem praebent ll. post ‚conscius‘, resp. Eun. 794 *Rogitas? quae mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuom?* certe multo magis suspicionem movet quam ‚est‘ illud, quod editores Bentleium secuti expulerunt.[5]) Quare hic est fortasse genuinus versus: *Quid istúc est?* :: *Rogitas? qui tam audacis fácinoris mihi cónsciu's?* Cum enim ea sit initii huius cantici dispositio, ut metra sententiarum condicione non efflagitante insolenter mutentur, quod unus iambicus octonarius intercedat inter trochaicum septenarium et troch. octonarium, non tam offendam, ut librorum auctoritatem et rationem meam exauctoratam patiar. Ceterum rei nostrae succurrit similis locus Andr. 257, ubi unus iamb. octonarius

Aut úllam causam, inéptam saltem fálsam iniquam? obmútui.

inter troch. septenarios immissus est.[6]) —

Quod, ut iam supra dictum est, in ‚qui istuc?‘ formula verb. subst. neque omissum est neque omnino addi poterat, etiam non licet de ‚sit‘ supplendo cogitare hoc loco:

Heaut. 612 *Non opust?* :: *Non hercle vero* :: *Qui istuc, miror* :: *Iam scies.*

Immo ‚qui istuc‘ et ‚miror‘ constructione non cohaerent, ita ut melius sic distinguamus: *Qui istuc? miror*, quae ratio ipsa ‚miror‘ vocis collocatione commendatur. — Neque magis quicquam supplendum est

Andr. 569 *At si corrigitur, quot commoditates vide*!

---

[1]) Don.: Quid autem?] ‚Quid‘ pro ‚quare‘ vel ‚ob quam causam‘ etc.

[2]) Non placet Donati adnot.: Deest ‚ait‘, ut sit ‚quid ait?‘

[3]) Non praetermitto Luchsium in Comment. prosod. Plaut. I (Erl. 1883) pro ‚Quid istuc est?‘ proposuisse ‚Quid istud est?‘ ratione metrica inductus, sed nescio an formulae vim parum respexerit.

[4]) Quam facile ‚es‘ antecedente ‚s‘ littera in ‚sis‘ depravari potuerit, non opus est monere.

[5]) Conferas quaeso etiam Eun. 794 *Rogitas? quae mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuom.*

[6]) Cf. Conr. l. l. pag. 173, ubi sic versum esse metiendum demonstratur. Omnino Conr. satis docte ostendit in propriis canticis in tali metrorum mutatione, etsi non accederet rerum mutatio, non offendi debere.

Melius distingueretur: *quot commoditates! vide.* — Verum nunc missas faciamus has nugas, de quibus vereor ne ultra spem veniae dixerim, atque primum iam nominetur »itane?«, quae est formula antecedens dictum admirantium; cf.

Phorm. 541 sq. *Ah, dictum sapienti sat est.* | *Itane?* :: *Ita.*, item Eun. 1058 et Heaut. 887.

Similiter atque »quid?« usurpatur haec locutio

Phorm. 392 *Itane? non te horum pudet*? Semel Terentius ab hoc usu recessit Hec. 418 »est« aduingendo. — Heaut. 954 sq. traditum est A codice:

Itane tandem quaeso, Menedeme, ut pater
Tam in brevi spatio omnem de me eiecerit animum patris?

Sic Wagnerus. — Rell. libri »quaeso est«, quod Fl. recepit. Sed non opus est Bembini auctoritatem relinquere, nam videtur copula ceterorum librorum, ut alias nonnunquam fit, falsario, non Terentio deberi; sane contra usum, qualem adhuc vidimus, Terentianum pugnat Wagneri scriptura, sed placet Umpfenbachii distinctio:

Itane tandem quaeso, Menedeme? ut pater.

Hic etiam »quid sic?«, »quid si sic?«, »quid ergo?«, »quid id ergo?«, »quid quod . . . .?«, »quid hoc quod . . . .?« alia commemorentur.

In interrogationibus ab »ubi« incipientibus verbum subst. omissum est:

Andr. 637 *At tamen 'ubi fides?' si roges,*

Eun. 780 *Ubi alii?* [1])

Praeter hos locos in toto Terentio nulla alia inveniuntur exempla verbi subst. in hoc interrogationum genere omissi, ita ut nostro iure dicamus in hac quoque condicione omissionem »esse« verbi a Terentiana consuetudine prorsus fere esse alienam. Nam videas, quotiens aliter poetae libuerit: Andr. 598 *Age igitur, ubi nunc est ipsus*? ibid. 607 *Ubi illic est*? item ibid 742; ibid. 965 *Pamphilus ubinam hic est*? Eun. 747 *Ubi east*? ibid. 754 *Ubi sitast*? ibid. 1006 *Sed ubi obsecrost*? ibid. 1050 *Sed ubist frater*? Heaut. 256 *O Iuppiter, ubinamst fides*? ibid. 430 *Ubinamst quaeso*? Phorm. 254 *Salve* : *sed ubist Antipho*? ibid. 308 *Antipho ubi nunc est*? ibid. 1054 *Fiat* : *sed ubist Phaedria*? Ad. 260 *O Syre, Aeschinus ubist*? ibid. 265 *Ubist ille sacrilegus*? ibid. 321 *Ubi east*? ibid. 702 *Quid? ille ubist Milesius*? ibid. 924 *Iubet frater*? *ubi is est*?. Si scripturam inde a Ritschelio vulgatam amplecteremur, huc etiam pertineret

Ad. 82 *Quid tristis es?* :: *Rogas me? ubi nobis Aeschinust?*

sed dubito amplecti. Id quidem, quod traditum est:

Quid tristis es? :: *Rogas me, ubi nobis Aeschinus*
Siet, quid tristis ego sim? :: *Dixin hoc fore?*

nullo pacto ferri potest his de causis: Primum »ubi« temporaliter nusquam id significat, quod »quamdiu«, ut voluerunt interpretatores; deinde, licet idem significare posset, coniunctivus »siet« gravissimam offensionem moveret [2]); tertium iam per se haec vetustior coniunctivi forma in hac sede versus admitti nequit. [3]) Ritschelii coniectura est [4]): *Rogas me? ubi nobis Aeschinust?* | *Scin iam, quid tristis ego sim?*; secuti sunt Fleck. et Spengelius [5]). Conr. [6]) autem proposuit: *Aeschinust?* | *Sciet, quid* . . .; Dziatzko: *Aeschinust?* | *Scies.* Quae coniecturae omnes minus placent propter interrogationem »ubi nobis Aeschinust?«, in qua quid »nobis«

[1]) Sic etiam Plautus:

Asin. I, 3. 44 *Ubi illaec, quae dedi ante?*
Cas. III, 2. 12 *Ubi tua uxor?*
Men. II, 2. 7 *Non hercle vero* :: *Ubi convivae ceteri?*

ubi Ritschel. olim ut hiatum tolleret »sunt« post »ubi« inseruerat; postea (cf. Neue Plaut. Excurse I S. 86) »sunt« deleto maluit »verod« scribi.

[2]) cum verba »ubi nobis Aeschinus siet« non a »quid tristis ego sim?« sed a »Rogas me« penderent.

[3]) De hac re conferas C. Conradt „De versuum Terentianorum structura" pag. 26 sqq. et Engelbr. l. l. pag. 51 sq.

[4]) Proll. CXX.

[5]) nisi quod hic verba »Dixin hoc fore?« Demeae tribuit.

[6]) Hermes X, 102 sq.

sibi velit non intellego; ceterum, praeterquam quod non satis perspicuum est, quapropter Demea ubi Aeschinus sit percontetur, aliam esse Terentii in huiusmodi sententiis consuetudinem verbi subst. collocandi iam cognovimus.[1]) Quare adhuc neminem lenius atque melius sententiae opitulatum esse credo quam Schoellium, praeceptorem meum venerantissimum, qui in seminario occasione oblata sic sribendum censuit:

Quid tristis es? :: *Rogas me, ubi nobis Aeschinus*
Sic est, quid tristis ego sim? :: *Dixin hoc fore?*[2])

Illa vero exemplorum collatio sat magna — et fortasse unus aliusve locus me invitum fugit — docet verbum ›esse‹ adscisci solere, ita ut vel maxime dubitandum sit Bentleio adstipulari ellipsium numerum augenti, cum delet ›sunt‹ Phorm. 749 *Ubi illae sunt?*. Etiam Heaut. 829 sine verbo scribit: *Ubi Clitipho nunc?*. Aliquamdiu quidem mihi placuit, quod ›nunc‹ particulam, quam praebent praeter Donatum BCEFP retinuit, ita ut, cum ›est‹ verbo nullo pacto carere possimus, coll. Andr. 598 scribendum esse putarem:

Ubi núnc est Clitipho? Éccum me, inque :: *Eccum hic tibi* ::

nam etiam id quod falso praebet Bemb. HINC non magis accedit ad ›hic‹ quam ad ›nunc‹ vocem; recentiores vero omnes D[1] G[1] secuti scribunt: *Ubi Clitipho hic est?* :: *Eccum* . . ., quam veram esse scripturam haud cunctanter mihi persuasi, cum vidissem in simili loco Andr. 965 *Pamphilus ubinam hic est?*, cum ceteri ll. omnes et Don. quoque ›hic‹ praebeant, Bembinum eadem qua priore loco corruptela maculatum esse. —

Fallitur Olsenus exemplum omissionis exstare contendens etiam

Phorm. 484 *Phaedria tibi adest* :: *Ubinam?* :: *Eccum ab sua palaestra* . . .

Nam, cum antecedat ›adest‹ verbum, ›est‹ ad ›Ubinam‹ nec calamo nec mente addendum est, similiter ac, si nos dicimus: „Du, Phädria ist da! :: Wo denn?", nemo aliquid desideret. Quantopere autem Terentius in alia condicione verbum esse adiungere soleat, videmus ex illo loco Heaut. 430 *Ubinamst quaeso?*, ubi praecedunt verba ›Valet atque vivit‹, ad quem addas

Heaut. 375 sq. *Sed quam cito sunt consecutae mulieres!*
:: *Ubi sunt? quor retines?*

Idem, quod de Phorm. v. 484 diximus, cadit in similem eiusdem fabulae locum v. 820 sq.

sed scin, ubi sit nunc tibi
Tua Bacchis? :: *Apud nos* :: *Non* :: *Ubi ergo?* :: *Apud Cliniam.*

ubi, cum ›sit‹ praemittatur, per totum sententiarum nexum verbum ›esse‹ sentitur. —

Rarissima igitur in hoc genere interrogationum ommissionis exempla exstant, utpote cum in toto Terentio duo tantum invenerimus, quorum unum ›'Ubi fides'?‹ proverbii speciem prae se fert (cf. illud vernaculae linguae „Trau, schau, wem!")[3]), alterum ›Ubi alii?‹ concisae orationi vaniloqui Thrasonis cum imperiosa iactatione copias suas instruentis accommodatum est. Cuius rationis confidentia augetur, quod etiam aliae ellipses in eodem conexu reperiuntur; cf.

v. 774 sq. *In medium huc agmen cum vecti, Donax;*
Tu, Simalio, in sinistrum cornum; tu Syrisce, in dexterum.

Verum enimvero in alia sententiae condicione habemus et ›Ubinamst fides?‹ [4]) et ›Ubi illae sunt?‹ [5]) —

Iam de illis enuntiatis agatur, quae a pron. interrogativo incipiunt, atque primo loco nominetur Ad. 883 *Quis homo?*. Mirandum sane est verbum ›est‹ hic omissum esse, cum Terentius non modo in pleniore sententia uti eo soleat velut Eun. 676 *Quis hic est homo?* Phorm. 991 *Quis hic homost?* Eun. 804 *Quis tu homo's?*, sed etiam illo loco excepto semper dicat ›quis homost?‹, cf. Andr. 344. 965. 974; Eun. 976; Phorm. 375. At tamen nimis est

[1]) Videas exempla supra allata.
[2]) Cf. etiam Eun. 408 *Immo sic homost.* ibid. 655 *Utinam sic sint, qui mihi male volunt.* et Phorm. 527, Hec. 460, Ad. 398.
[3]) Cf. Speng. ad hunc locum: „Da ›est‹ in dieser Wendung öfter fehlt, sieht man, dass es eine sprichwörtliche Redensart war (Ovid. epist. VI, 41; Cato bei Gell. X, 3)."
[4]) Heaut. 256.
[5]) Phorm. 749.

inconsultum statim, ut nescio quis proposuit, dissidentem locum ad alios conformare.[1]) Namque primum non tam verisimile est post ›homo‹ quam si ›us‹ syllaba antecederet ›est‹ intercidere potuisse, deinde ellipsis h. l. apta est Demeae festinanter breviterque varias interrogationes continuanti: *Quis homo? o Syre noster, salve : quid fit? quid agitur?*. Omnino cavendum est, ne nos nimis in alteram utram rationem attenti unam tantum modo agnoscamus. Nostro iure, si omissionis exempla tam raro inveniuntur, ut exceptiones nominari debeant, coniecturis, quibus numerus exceptionum augeatur, diffidimus; at temerarium vel potius falsum est ipsas illas exceptiones in regulam redigere, nisi accedunt iusta corruptelae indicia. Ceterum invicem tutantur hic et alius locus Eun. 530 sq. *Heus, heus, ecquis hic? | Ego sum Chremes.*, ubi, quod ll. Call. et Don. et etiam Bembini antiquus corrector ›est‹ post ›hic‹ addunt contra numeros, interpolatoris cura facile cognoscitur. Quam non autem Plautinus sermo et Terentianus eodem usque modulo metiendi sint, iterum perspicuum habemus exemplum

Amph. IV, 1. 12 *Aperite hoc : heus, ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?* et
Bacch. IV, 1. 9 sq. *Foris pultare nescis! ecquis in aedibust?*
Heus, ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?

Alia omissionis exempla vide:

Eun. 511 *Roget quis 'quid rei tibi cum illa?'* et
Ad. 678 *aut quid nobis cum illis?*

Sane inest aliquid huic formulae interrogandi, quod ellipsin excuset, ita ut, etiamsi et Plautus et Terentius omissione non admodum delectati saepius copulam admitterent quam omitterent — velut Eun. 804; Heaut. 742; Ad. 177; Stich. II, 2. 9; Aul. IV, 4. 4; Men. IV, 2. 85 — tamen dubium sit, num recte vv. docti Poen. V, 6. 7 *Quid tibi mecum autem?* post ›autem‹ copulam inseruerint.[2]) Hoc recte Ols. contendit. Quod autem dicit: „Denique vv. dd. securi scribunt ›autemst‹; ›est‹ autem collocatur post ›mecum‹ vel ›tecum‹" et iam ut confirmet hanc observationem tres illos locos Plautinos affert: *Quid mecumst tibi?; quid tibi mecumst?; Nihil mihi tecumst?*, opinio eum perquam fefellit; nam cum omnino non exhibeatur ›autem‹ in locis laudatis, non potuit profecto poeta post ›autem‹ verbum ›est‹ collocare; num autem, si ›autem‹ particula accessisset, non post eam potius ›est‹ adiuncturus fuisset, ex illis quidem exemplis diiudicari nequit. Eodem vel etiam maiore iure quis contenderit Terentium, quod in huius modi sententiis velut Eun. 225 *quid hoc morbist?* Hec. 323 *Quid morbist?* Andr. 963 *Quid illud gaudist?* et similibus Andr. 745; Eun. 237. 546. 547; Heaut. 82. 193. 254; Phorm. 61. 184. 343. 816. 990; Hec. 97. 357. 588. 810; Ad. 175. 638 semper post genetivum a ›quid‹ pronomine pendentem copulam collocavit, ab hac collocatione non verisimile esse usquam recessurum fuisse. Quid vero quod legimus Eun. 1029 *Perii : quid hoc autemst mali?*, etsi legem fere licet nominare eam, quam modo demonstravimus, normam collocandi? Quod porro semper ita collocata videmus ›quid hoc est?‹; ›quid illud est‹?; ›quid istuc est?‹ cum similibus, num dubitemus de ›quid hoc autemst?‹, quod invenies Eun. 1005 vel de ›quid istuc autemst, Phaedria?‹ Phorm. 503.[3]) Cum denique Hec. 72 habeamus ›Iniurium autemst‹, quamquam alias utique dicitur ›iniuriumst‹[4]), apparet contrarium Olseni observationis verum esse et prorsus normam fuisse cotidiani sermonis post ›autem‹ in tali conexu verbum subst. adiungere, ita ut, si Heaut. 1000 *Quid hoc autem?* poeta verbum subst. addere voluisset, post ›autem‹ eum additurum fuisse certum sit, quod ne interpolatorem quidem illum locum temptantem subterfugit. Quae apud Plautum huius rei sit condicio nunc non curo, quippe cum ad nostram rem hoc minime pertineat; occasione oblata nihil nisi iterum, quam infirma saepe Olseni argumenta se praebeant, demonstrare volui; tamen hoc etiam nunc dicere licet non ita inepte vv. doctos in illo Plautino loco Poen. V, 6. 7, quandoquidem verbum subst. desiderabant, id post ipsam ›autem‹ particulam inseruisse; sed minime oportet id addatur. Omnino mirum quantum Ols. in promptu ubique habet generales normas atque leges, dummodo nonnulla exempla eius rationi respondeant.

[1]) deleta sane ea, quae sequitur, interiectione ›o‹.
[2]) Cf. etiam Cist. III, 15.
[3]) Sic Bentl., Fleckeis., Dzi., Conr. (l. l. pag. 141).
[4]) velut ibid. v. 71 et Ad. 106. 205.

Sic. p. 80 dicit: „Apud Terentium enim legimus: Ad. v. 768 *aut quid nobis cum illis?* Eun. v. 511 *Roget quis 'quid rei tibi cum illa?'* — sic igitur rogabant Romani sine verbo subst." Contra haec duo exempla, ad quae accedunt fortasse tria vel quattuor Plautina, nonnulla iam vidimus hanc rationem impugnantia et possunt alia proferri. —

Alium omissionis exemplum habemus.

Eun. 546 sq. *quid hoc hominis? quid hoc ornatist? | Quid illud malist?*

Ll. Call. et Don. in lemm. ⸗hominis est⸗, sed patet ⸗est⸗ ei debere, qui primam sententiam ad ceteras conformare voluit; interpolatorem autem in hoc versu grassatum esse iam ex eo perspicimus, quod pro vetusto genetivo ⸗ornati⸗ usitatior forma ⸗ornatus⸗ posita est; quae postea falso intellecta pronominum ⸗quid hoc⸗ in ⸗qui hic⸗ mutationis causa facta est; cet. vestigia genuinae scripturae servaverunt BCDE codd. ⸗quid⸗ praebentes. Quominus cum Umpf. ⸗qui hic ornatust?⸗ genuinam scripturam ducamus, prohibemur primi et ultimi membri structura; nam T., si complures huiusmodi interrogationes conectit, eodem eas casu solet proferre; sic in utroque membro nominativum posuit:

Heaut. 973 sq. *quae istast pravitas, | Quaeve amentiast?*

Hec. 198 *quod hoc genus est, quae haec est coniuratio?*

Ad. 985 *Quod prolubium? quae istaec subitast largitas?*

Hic, quem postremum legimus, locus simul aliud est exemplum copulae omissionis, quod cum similis sit structurae atque illud, in quod supra oratio incidit, et illud defendit et rursus ab illo defenditur; nam iam cognoscimus rationem omissionis utpote admissae, si complures interrogationes continuantur, ita ut prior quasi exclamatio esse videatur, quam subsequentes accuratius exsequuntur. Quare Klettio non adstipulabimur, qui[1]) DG codicum memoriam amplexus proposuit

Ad. 709 *Hic non amandust? hicine non gestandus in sinust? hem:*

nam recte rell. ll. et inter eos Bemb. ⸗est⸗ om.; recentior demum „corrector" Bembino ⸗est⸗ obtrudendum putavit. Unicuique autem membro copulam adpositam videmus eis locis, quibus prius membrum ob structuram vel sententiam alterius membri exclamationem sequentibus verbis expositam intellegere minus liceat velut illo loco Heaut. 973 sq. ob coniunctionem ⸗ve⸗ et Hec. 198, ubi sane aliquod discrimen sententiae intercedit inter prius et alterum membrum.

Exclamationis speciem habet etiam

Ad. 544 *Quid hoc malum infelicitatis? nequeo satis decernere.*

Iam restant duo omissae copulae in sententiis interrog. exempla, quae omni dubitatione exempta sunt, Andr. 477 *Num immemores discipuli?* et

Eun. 978 *satine salvae?*

quod recte vv. docti ex ⸗satine salve⸗ restituerunt.[2]) Omissio in priore exemplo haud molesta est, quod subiectum additum est, in posteriore aptissima est formulae solemni salutantium, ut alioquin ⸗satin recte?⸗ (scl. agitur) interrogatur.

Pauca igitur certa in hoc genere omissionis exempla exstant, ita ut summo iure vv. dd. Bentleio diffisi sint

Andr. 651 *Quid istuc tam mirumst, de te si exemplum capit?*

v. subst. ll. omnibus traditum delendum iudicanti, quia nesciat id Eugraphius et quod apud Verg. (Aen. XI, 705) habeamus *Quid tam egregium, si . . .?* et apud Hor. (Sat. II, 3. 283) *Quid tam magnum?* — Quid haec ad Terentium? Ceterum posterius exemplum omnino non est idoneum ad comparationem, quia per parenthesin infertur. — Quod porro

Phorm. 833 *Quidnam nunc facturust Phaedria?*

in uno Bemb. contra rell. libros copula omissa est, apparet semiustulatam eius formam casu quodam intercidisse.[3])

---

[1]) in „Symb. Philolog. Bonnens." II pag. 845 sq.

[2]) Cf. etiam Schoell. ad Trin. 1177.

[3]) Ipse Ols. in hac sententia, cuius structura ommissioni copulae non multum favet, de omissione dubitare videtur; frustra enim hunc locum apud eum quaeres.

Qua autem ratione Sp. et Ols. Ad. 677 sq. *sed quid ista, Aeschine, | Nostra?* statuant =sunt= omissum esse, memet profiteor non intellegere; recte enim Dzi.: „zu ergänzen ist =refert=; vergl. Heaut. *quid mea? num mihi datumst?* Phorm. 940 *Quid id nostra?*“ — Neque Phorm. 256 *sed satin omnia ex sententia?*[1]) deest v. subst.; cf. Heaut. 683 *Istuc tibi ex sententia obtigisse laetor*; ibid. 765 *Vah, gloriare evenisse ex sententia.*

Iam cum omnia circumspicientes, quae adhuc de omissione copulae in sententiis interrogativis exhibita disputata sunt, tum hos potissimos locos comparantes:

Andr. 236. *Hocinést humanum fáctu aut inceptu? hócinest officiúm patris?*

Phorm. 1012 sq. *Haecine erant itiones crebrae et mansiones diutinae*
Lemni? haecine erat ea . . . . ?

Hec. 771. *Haecine east?*

Ad. 237. *Hocine illo dignumst?*

quanam fiducia sequamur Bentleium, qui

Andr. 625 sq. *Hocinest credibile aut memorabile*
Tanta vecordia innata quoiquam ut siet, —?

copulam librorum concentu traditam omittendam esse censuit, praesertim cum verba =Hocinest — memorabile= non sola per exclamationem posita sint sed pleniorem sententiam inducant? Vir clarissimus =est= delevit, ne, cum totus versus e dactylis constare videretur, primam sedem creticus expleret. Sed cur de dactylis cogitemus? Quin versum trochaicis numeris incedere sumimus, cui sententiae vel maxime ea res favet, quod sic, ut subsequentibus tetrametris creticis (vv. 626—634) troch. versus praemissus est, iterum post eos troch. versus occurrit hic (v. 635) *Quis tu es? quis mihi es? quór meam tibi?* In tali autem mensura =Hócinest crédibile= non esse cur offendamus, discimus ex illo Andriae versu 236 supra adscripto. Quod si Conr. l. l. pag. 187 sqq. servata copula versus numeros hos esse statuit –́ ⏑ — –́ ⏑⏑ –́ ⏑⏑ –́ ⏑⏑, iam versum habemus nullum, ita ut ipse Conr. nescire videatur, quo nomine hanc pedum seriem induat. Quod vero idem intermissis quattuor tetrametris creticis acatal. in quinto ab initio cantici versu, cui iterum quattuor tetr. cret. succedunt, responsionem quandam numerorum sibi reperisse videtur sic scribendo ac metiendo: *In precandó modo quis pudŏr paúlum adĕst,*[2]) dactyli summa iambici trochaicive metri licentia conformati nauseam excitant. Non est dubitandum, quin hic sit versus creticis numeris compositus aeque ac quattuor antecedentes eique qui proxime subsequuntur quattuor.

Iam liceat eos adscribere locos, ubi praeterea Olsenus verbum subst. a poeta omissum esse contendit, quoniam homines docti falso, ut ipsi videtur, ex =—us= terminatione reduxissent. Sunt autem hi:

Andr. 496 *Interminatus sum, ne faceres : num veritus? quid re tulit?*

ibid. 621 *An non dixi esse hoc futurum? :: Dixti :: Quid meritus? :: Crucem.*

„ 724 *Quidnam incepturus?*

Eun. 286 *Etiam nunc hic stas, Parmeno? [eho] num nam hic relictus custos?*

„ 696 *Monstrum hominis non dicturus?*

Hec. 825 *Quid exanimatus obsecro es? unde anulum istum nactus?*[3])

Ad. 233 sq. *'nunc demum venis?*
Cur passus? ubi cras?

Accedunt ei loci, ubi solus Bembinus verbum auxiliare omittit, cum rell. libri praebeant:

Eun. 559 sq. *Quid est quod lactus es? quid tibi vis? satine sanus? quid me*
Aspectas? quid taces?[4])

Phorm. 550 *Contemplamini me :: quam ob rem? aut quidnam facturus, cedo?*[5])

„ 798 *Quid tu? ecquid locutus cum istac, quam ob rem hanc ducimus?*[6])

[1]) Don. s. s. o. e. s.] Quod vulgo =Omnia recte?=

[2]) =In precando= pro eo, quod traditum est, =Denegando=, quod iam Klettius „Exercit. Terentianae“ pag. 10 recte in =Denegandi= mutaverat.

[3]) Sic laudavi versum, qualem genuinum esse Olsenus iudicat.

[4]) Etiam Don.: =— us es=

[5]) ll. Call.: =es facturus=

[6]) ll. Call.: =locutus cum ista es ?=

Etiam his locis Olsenus Bembini scripturam amplexus ellipsin esse vult itemque
Andr. 749 *Satin sanus, qui me id rogites?*,
ubi copula deest in CDP, et Eun. 854, ubi ll. Call. praebent:
Num meam saevitam veritus? :: *Non* :: *Quid igitur?*

Sed A habet: »veritus es«, cop. add. A [1], ut videtur; Don. quoque: »veritus es?«. Bentl. numeris sufficit scribendo: *veritu's?* :: *Non* :: *Non? quid igitur?* probante Olseno, nisi quod copulam expellendam censet. Quid faciamus nos? —

Ex eis, quae adhuc prolata sunt, vidimus apud Terentium, ut ceteroquin, ita etiam in interrogativis sententiis exempla verbi subst. omissi, de quibus quidem nulla sit iusta dubitatio pro rata parte sat infrequentia inveniri et semper fere ipsis verbis aliquid inesse, quod ellipsi faveat. Iam vero cum Olsenus ad exiguum illum numerum sat magnam congeriem ellipsis exemplorum adiectum eat, de quibus adhuc unus quisque fere et non sine causa dubitavit, fieri non potest, quin iam ab initio increduli simus. At ubi certa argumenta exstant, credamus, si sapimus, oportet! Sed quaenam sunt haec certa argumenta? Primum est: synaloepha »us« et »es« syllabarum nunquam usquam exstitit. Hoc argumentum confido eis, quae in priore parte disputavimus, de medio sublatum. Praeter alia id reminiscaris quaeso, quod pag. VII de illo Andriae loco v. 621 diximus. Alterum est: Bembini et reliquorum passim codicum memoria. Quam in hac potissimum re satis esse fallacem in propatulo est. Tertium, quod gravissimum est et, cum aliis subsidiis paene destituti simus, unicum fere: ipsam Terentii dico dicendi consuetudinem, qualem quidem ex aliis certis exemplis cognoscere possimus, id ipsum est, quod Ols. non neglexit quidem, at tamen parum respexit; sin autem satis respexisset, invenisset rationem suam ea adeo non stabiliri, ut vel maxime caduca videretur. Omitto ante omnia dubitationem quandam eo moveri, quod, cum adhuc in sententiis interrogativis non nulla quidem tertiae sing. pers. exempla, tria quoque eiusdem plur. pers., nullum autem alius personae nec singularis nec pluralis invenerimus, nunc Olseni cura repente omissae secundae sing. pers. vel duodecim exempla ingrediantur, quasi huic personae soli fere ius omissionis conveniat, — omitto, dico, quoniam secundae pers. adhibendae in interrogationibus plus quam alias occasio occurrit; sed restant aliae eaeque graviores dubitationes. Nonne vel maxime mirandum est omnes illos locos, quibus Ols. verbum subst. omissum esse contendit, ita esse comparatos, ut praedicatum vocabulo in »— us« terminato efficiatur, cum neque alii neque Ols. ne unum quidem adhuc exemplum invenerint, ubi »es« omissum sit in enuntiatione, cuius praedicatum in »— a« vel in aliam syllabam exeat. An, si cum femina est colloquium, semper ea est condicio atque natura sermonis, cui minus apta sit ellipsis copulae? Quid rei est, nisi ut suspicemur frequenter post »— us« syllabam copulam intercidisse vel, ut accuratius dicamus, in »— us« syllabam concessisse? Ad eos explorandos locos, quibus id factum est, ne illos, ubi ab ipso scriptore copula omissa est, eis, ubi memoria librorum omissa videatur, accurata opus est Terentii consuetudinis, ut alias cognoscitur, observatione.

Primum, cum videamus Andr. 751 ita interrogari: *Dictura's, quod rogo?* [1]), item Eun. 819 *Non tu istuc mihi dictura aperte es, quidquid est?* [1]), haud scio an recte vv. docti »es« copulam revocaverint Eun. 696 *Monstrum hominis, non dicturu's?*; porro coll. Eun. 896 *Quam tu rem actura obsecro es?* [1]) adstipuler eis, qui scribunt Andr. 724 *Quidnam incepturu's?*; etiam confidentius secundum illum Prisciani locum credo Andr. 621 *Quid meritu's?* genuinum esse. Deinde si comparaverimus Eun. 1017 *Hem quid dixisti, pessuma? an merita's? etiam rides?* et Heaut. 848 sq. *Iamne oblitus es | Inter nos, quid sit dictum de fallacia?*, non dubitandum est de Andr. 496 *num veritu's?* [2]) et Ad. 234 *cur passu's?* — Paullo explicatius agendum est de Hec. 825, ubi Bemb. praebet hunc versum:

---

[1]) ubi neque ad efficiendam longam syllabam neque ad hiatum evitandum »es« syllaba opus erat, quae cum maxime Olseno causae fuisse videntur, cur alias saepius quam post praedicatum in »— us« terminatum »es« verbum positum inveniamus. Cum iam eadem sit sermonis natura quam in illis exemplis, ubi post praedicatum in »— us« desinens Olsenus verb. subst. omissum esse statuit, cur non etiam hic poeta »es« omisit, quo minime carebat, quippe qui si Ols. verum vidit, potius omitteret copulam quam admitteret?

[2]) cf. etiam, quae pag. VIII de hoc loco disputavimus.

Quid exanimatus obsecro es? aut anulum istum nactus?

rell. habent: *es exanimatus — aut unde.* — Patet «unde», quod deest in A, sententia desiderari; quare Umpf. «aut» del. scripsit: *Quid exanimatus obsecro es? unde anulum istum nactu's?* Secutus est Ols., nisi quod copulam post «nactus» non agnoscit. Fleck. cum Bentleio: *Quid exanimatu's obsecro? aut unde anulum istum nactu's?*, quae scriptura ea re potissimum placet, quod «aut» Terentio servata est. Nam hic «aut» particulae usus tam singularis est, ut cum Olseno de interpolatore haud liceat cogitare. Immo istam particulam hoc in conexu nec supervacaneam esse nec molestam, unus quisque concedet, qui noverit, quam libenter eam veteres ad duas interrogativas sententias conectendas admoverint, etiamsi non intercedit ratio disiunctiva. Ut reliquos hoc loco omittam [1]), videas quaeso Terentium Phorm. 550 *Contemplamini me :: Quam ob rem? aut quidnam facturu's, cedo?*, Hec. 355 *Quid tu igitur lacrimas? aut quid es tam tristis?*; cf. etiam Heaut. 707. — Sed minus placet «exanimatu's» scriptura. Nimirum ita argumentati sunt vv. docti: cum copula, quae in «— us» syllabam concesserat, deesse videretur, in A post «obsecro», in reliquis post «quid» immissa est. Intellego sane, quomodo in A post «obsecro» verbum «es» immitti potuerit, nam haec est collocatio admodum usitata; at non est verisimile in rell. libris copulam ab eo, qui eius formam desideraverit, ea sede, qua exstat, insertam esse; immo putaverim iam ab initio illo loco collocatam eam fuisse, in A autem, postquam «es», quod facile fieri potuit, ante «ex —» intercidit, post «obsecro» immissam esse; simul hoc «es» falso loco immissum ansa fuit «unde» particulae expellendae. Sic bene intellegimus librorum dissensum, quo etiam magis ratio mea commendatur. Contra eos autem, qui illam scripturam: *Quid ĕs éxanimatus* ob metrum ferri negant posse, nullum negotium facessit defensio; nam de tali mensura non esse dubitandum docet, ut ex multis proferam unum idemque dilucidissimum exemplum, Ad. 638 *Quid huĭc hic negotist?*. [2]) Totus igitur versus hic est:

Quid es éxanimatus óbsecro? aut unde ánulum istum náctu's?

Similem verborum collocationem habemus Hec. 355 *aut quid es tam tristis?* — Recte iam Bentl. ex «nactus» librorum «nactu's» effecit; nam omissio copulae iam per se suspecta, ut vidimus, etiam magis est hoc potissimum loco, quod in priore interrogatione copula posita est neque in altera ex hac suppleri potest; Terentium autem, ubi duas interrogationes conexuit, quarum praedicata nominibus cum copula efficiuntur, nisi quod interdum ex certa ratione in priore copulam omisit, [3]) in utraque interrogatione copulam adsciscere solitum esse docent Andr. 236, ibid 304, Eun. 804. 671, Heaut. 973, Hec. 804, Ad. 707; nullum autem novi locum, ubi in priore quidem interrogatione copula posita sit, contra desit in altera. —

Cum porro habeamus Heaut. 707 *Satin sanus es aut sobrius?* ibid. 986, Phorm. 802 et Ad. 937 *Satin sanus es?* Phorm. 194 et Ad. 336 *sanun es?*, nonne nostro iure suspicamur etiam Eun. 559 cum ll. Call. et Don. *satine sanu's* scribendum esse? Non omittit Bemb. copulam; nam «sanus», quod exhibet, intellegendum est «sanus es»; ita solet scribere qui Bembinum depinxit, si «es» cum «us» metri causa coniungatur oportet. Cur tandem poetam, cum, ut ex exemplis supra allatis apparet, constantia quadam copulam in hac interrogandi formula adponere soleat, hoc loco eam omisisse putemus? Quanam ex causa hic potissimum apta sit ellipsis copulae? At colores ac natura nil differunt. An metri causa? Etiam haec causa nulla est; nam potuit, si plena syllaba ipsi versum pangenti molesta fuerat, per aphaeresin eam cum «— us» coniungere; quod ut faceret numerorum sane obstaculis cogi poterat; ut autem plane omitteret, nulla re cogebatur, nisi si ipsa loci sententia flagitabat et usus loquendi. —

Minime vero dubito, quin recte vv. docti

Andr. 749 *Satin sanu's, qui me id rogites?*

scripserint, quia interrogatio, cum accedat enuntiatio relat., omnem concisae formulae speciem

---

1) Inprimis Graecos et inter eos Lucianum hunc usum adamasse constat; cf. haec, quae memoriae meae praesto sunt exempla: Luc. Char. 1. *Τί γελᾷς, ὦ Χάρων; ἢ τί τὸ πορθμεῖον ἀπολιπὼν δεῦρο ἀνελήλυθας κτέ* ibid. 11 *ἀλλὰ τίνας ἐκείνους ὁ Κροῖσος ἐκπέμπει ἢ τι ἐπὶ τῶν ὤμων φέρουσιν?*

2) Alia invenies apud Speng., Andr. praef. pag. XXVII sq.

3) Cf. pag. XXXII.

exuit; ceterum etiam hic praeter CDP ipsis libris copula tradita est. A non exstat hoc loco; si exstaret, eum Ols. suspicatur cum illis codd. copulam omissurum esse, — hoc recte, nam iam scimus librarium A, si »us« et »es« syllabae metri causa in unum coeant oportet, id ipsum scriptura exprimere. —

Phorm. 550 A praebet: *Quam ob rem? aut quidnam facturus, cedo?*
ll. Call. omnes: *quidnam es f.*, »es« aperta est interpolatio eius, qui copulam, quam desiderabat, in ultima »facturus« vocis latere nesciverit; recte vv. docti: *facturu's?*, ut Eun. 890 *Quam tu rem actura obsecro es?*, ubi vel praegresso »tu« pronomine copula adposita est [1]; cf. etiam Eun. 462 *Ituran, Thais, quopiam es?*

Aliter res se habet eiusdem fabulae versu 798, quem A habet sic:
Iam recte :: Quid tu? ecquid locutus cum istac, quam ob rem hanc ducimus?
Ll. Call.: [2]) *locutus cum ista es.* Hic non ut in antecedenti loco »es« ll. Call. interpolatum est, quod Dziatzko suspicari videtur, quippe cum »exquid locutu's cum istac« scribat; ISTAC enim illud Bembini vestigium genuinae scripturae »ista es« vel »ista's« servasse apparet.

Eun. 854 BCDEP (G vacat) versum mancum, cui una syllaba deest, praebent:
Num meam saevitiam veritus? :: Non :: Quid igitur?
ES
Bemb. VERITUS »es« add. A¹, ut videtur. Quare Umpf. hunc senarium constituit: *Num meám saevitiam véritus es? :: Non :: Quíd igitur?;* de Bentlei coniectura cf. pag. VIII et adnot. [2]) —

Haec quidem hactenus. Iterum igitur cavendum esse moneri debet, ne nos nostrae linguae usu ac consuetudine inducti in Romanorum quoque cotidiano usu loquendi omissionem verbi subst. iam ab initio necessitate quadam vel maxime esse usitatam statuamus. Quam longe autem Terentianus sermo a nostro in hac re distet, praeter multa, quae iam vidimus et postea videbimus, docent etiam exempla velut Hec. 355 *aut quid es tam tristis?*, ubi nostrates: „warum so traurig?"; sic etiam Ad. 82 *Quid tristis es?* et ibid. 768 *Quid tu es tristis?*, ubi, cum »tu« additum sit, sententia etiam sine verbo subst. perspicua foret; item Eun. 304 *Quid tu es tristis, quidve es alacris?*, ubi accedit copulae in altera interrogationis parte iteratio.

Iam restant absolvendi pauci loci, de quibus in eis, quae adhuc protulimus, generalibus omissionis generibus non apta fuit occasio disputandi:

Andr. 202 *Ita aperte ipsam rem modo locutus, nihil circumitione usus es.*
Sic praeter Sp. omnes editores traditam scripturam servarunt nimirum ad »locutus« ex sequentibus verbis copulam supplentes. Sp. vero, qui bene observavit copulam ad duo participia pertinentem ex comicorum usu iam ad prius adiungi solere, »locutu's« scripsit. Iam audiamus Olsenum de Spengelio ita iudicantem: [3]) „qui non iniuria quidem dicit simplicitate sermonis comicorum non concedi, ut »es« ex sequentibus »usus es« suppleatur, neque vero debet ob eam causam scribere »locutu's« nam »locutus« hic est idem quod »locutus es«" — inanes sane argutiae, quae satis demonstrant, ad quam infirma refugia repellatur is, qui aphaeresin »es« verbi respuere velit; nam aut cop. ex »usus es« supplenda est, aut, si id minus procedat, iam in priore membro ponatur oportet.

Difficillime est dictu, quidnam

Eun. 1062 sq. *Quor ergo in his te conspicor regionibus?*
:: Vobis fretus :: Scin quam fretus?
ad »Vobis fretus« supplendum sit. »Sum«, quod Olseno placet, responsionem perquam languidam redderet neque bene cum antecedentibus coiret; iam melius placet altera Olseni propositio, ut »conspicior a te« mente adsumamus; sed haud scio an recte Umpf. responsionem verbis Chaereae bum impetuosa quadam acerbitate in militem invehentis interceptam esse statuerit scribendo :: *Vobis fretus .... :: Scin quam fretus?*

1) Conferas quaeso pag. XXXIV et ibid. adnot. 1).
2) praeter G, qui h. l. non exstat.
3) „Quaest. etc." pag. 15.

Miratur Ols., quod vv. dd.

Phorm. 496 *Tu cognatus, tu parens, tu amicus, tu...* :: *Garri modo.* [1])

non »u's« scripserint; nempe quia non »es« sed »eris« supplendum est, quod in nonnullis libris interpolatoris cura additum est.[2]) Omissio autem h. l. ideo non est molesta, quod omnino oratio verbis lenonis obturbata est. Quod si Ols. dicit in sermone colloquentium primo statim loco cogitatione suppleri, si quid sit supplendum, hoc verum quidem est sed sine dubio valet ad perfectas tantummodo et non ad interceptas sententias, velut Ad. 456 *Te solum habemus, tu es patronus, tu pater,* ad quem locum Ols. nos adlegatos vult.

957 Ad. ~~975~~ Fl. scribit: *Nunc mihi germanu's pariter animo et corpore.*

Hic et antecedens versus admodum adhuc exercuit criticos. Praeter alios etiam Klettius[3]) et Conr.[4]) accurate de his versibus egerunt; sed factum est, quod saepe fit: quot critici, tot sententiae. Longum est omnia singillatim iudicia congerere, sed sciendum est praeter unum Olsenum neminem de omittenda copula cogitasse; at dissident aliquantum vv. dd. in eius collocatione. Mihi quidem hoc persuasi »es« librorum, quippe quod variis locis iactetur, valde esse suspectum; nempe debetur interpolatori copulam, quae in novissimam syllabam »germanus« vocis concesserat, desideranti; unus Victorianus glossema respuit. Quare rectissime Fl. »germanu's« scripsit. Omnino Fleckeiseni sententia, qui quam fieri potuit diligentissime ad traditam scripturam accessit, omnium probabillissima videtur; nam nemo adhuc satis nihi persuasit vv. 956 et 957 senarios esse nequire inter iamb. octonarios, quod quominus concedam ea re prohibeor, quod similiter Andr. 497 sq. duo senarii inter iamb. octonarios ingrediuntur, etsi non ignoro, quem ad modum Conr. hunc ipsum locum expedire conatus est[5]). In una saltem re aliter atque Fl. iudicaverim; etenim etiam »mihi« glossema esse videtur, quod ut credam iam eo adducor, quod Vict., qui »es« illud interpolatum respuit, etiam »mihi« omittit; multo accomodatius est sententiae »tu« pron., quod post »Nunc« traditur; »mihi« autem plane superfluum vel potius molestum est, cum frater fratrem iustum germanum praedicet. Optime autem quadrat »mihi« in hoc Plauti loco: Cas. III, 4. 25 *Nunc tu mi amicus es in germanum modum.* Versus igitur fortasse hic est:

Nunc tú germanus páriter animo et córpore.

Ceterum ea est sententia, ut Demea nequaquam id potissimum gaudeat, quod ipsi sed quod omnino iustum germanum Micio se praestet, cum iam non solum natura, sed ipsis factis frater videatur.

Haec hactenus de omissone verbi subst. in sententiis primariis exhibita; iam videamus, quibus condicionibus omissio admittatur

b) in enuntiatis secundariis.

A Plauto quidem in his enuntiatis omissionem non esse abiudicandam recte Olsenus contendit. Quod iam apparet ex eis exemplis, de quibus nulla potest esse dubitatio, cum »sum, sumus, estis, sunt« formae omittantur, quae sine versus damno inseri nequeant. Quamquam haec exempla non adeo sunt frequentia, quin exceptionum ordini attribuantur; atque valde dubium est, nonne Olsenus nimis illis confisus in »es« et »est« formarum omissione statuenda hic illic iustos terminos excesserit. Plautina vero in fines suos, si quidem fas est, restituenda copula aliis sit curae; equidem satis habeo Terentio consuluisse; atque, si primum quae certa exstent in secundariis sententiis exempla omissionis quaerimus, breve est negotium, nam unicum invenitur hoc:

Phorm. 612 *de Antiphone audistin quae facta?*

[1]) A cum rell.: »Tu mihi cognatus«, ita ut versus iamb. octonarius sit, quem Bentl. »mihi« deleto in troch. septenarium immutavit. Etsi Conradtio concedendum est unum iamb. octonarium inter troch. versus non esse cur respuamus (l. l. pag. 46 et 137), tamen Bentleio crediderim »mihi« interpolatori deberi, primum quod »mihi« exhibito omissio copulae durior esset, deinde quod etiam ad »parens« in libris Call. »mihi« adsutum est.

[2]) Cf. Westerhovii editionem.

[3]) in „Symb. Philol. Bonnens". II, 857 sq.

[4]) l. l. pag. 69 sqq.

[5]) l. l. pag. 67.

quod insuper facile excusatur, nam videtur »quae facta« in cotidiano usu formulae fere naturam abiisse, quippe cum etiam apud Plautum haec ellipsis inter ea, de quibus nunc agitur, omissionis exempla pro rata parte mirum quantum numero praecellat; sic Plaut. Amph. II, 1. 147 *Tu qui quae facta infitiare, quem ego hic convincam palam*; item ibid. I, 2. 12. II, 1. 25. V, 1. 3; cf. etiam eiusdem fabulae v. II, 1. 23 *Verum haud mentior, resque uti facta dico*; similiter »quae futura« om. copula dicitur Bacch. III, 4. 12 et illo loco Amph. V, 1. 3. Quanam igitur fiducia credamus Olseno verbum subst. ab ipso poeta omissum esse etiam hoc loco:

Eun. 651 sq. *in' hinc quo dignus cum donis tuis*
Tam lepidis?

Recte vv. docti ex ultima »dignus« vocis copulam revocarunt »dignu's« scribentes; nam, cum poeta in eadem sententiae condicione Heaut. 812 *Ibin hinc quo dignus es?* dixisset, cur hic copulam omiserit, non intellegitur; si plena syllaba »es« molesta erat versum facienti, potuit aphaeresin adhibere, id quod factum est.

Non magis concedendum est

Heaut. 815 *Vellem hercle factum, ita meritu's* :: *Meritus? quomodo?*

iniuria vv. doctos »meritu's« scripsisse. Namque primum, quae est structura enuntiationis, unusquisque, quod »vellem« antecedit, si copula revera omissa esset, non »es« sed »sum« suppleret cogitatione, et id recte, nam ita flagitaret ratio grammatica; sententia vero »es« ut suppleamus postulat. Sed, etsi brevitatem quandam et alacritatem hic illic in colloquio appetunt Terentiani homines, tamen nunquam incidunt in obscuritatem. Ceterum videas, quod Olsenus dicit de Heaut. 329 *Tum quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via*: „atque hic quidem necesse erat »es« poneretur, quia eo omisso coniungi debebat participium cum »invenio« verbo et »sum« verbum suppleri.“ [1]) Quae igitur haec est constantia? Quod autem Olsenus, ut fidem addat suae rationi, dicit: „Atque etiam alterum »meritus« verbum sine »sum« positum indicat, si quid video, Terentium non scripsisse »meritus es«“, statim nil eum vidisse addendum est, nam non vidit hos locos:

Heaut. 192 *Quid ille? miserum se esse* :: *Miserum?* et

Eun. 756 sq. *Num formidulosus obsecro es, mi homo* :: *Apage sis:*
Egon formidulosus?

Neque desunt similia neque non habet suam haec consuetudo rationem. Qui enim dictum alterius admirantur, in interrogatione id solum solent repetere, in quo positus est sententiae ictus. Denique in sat simili loco Eun. 750, ubi in »— a« terminatur praedicatum, copula adposita est: *Et habetur et refertur, Thais, tibi ita ut merita's gratia.* Iterum igitur exsistit quaestio, cur tandem tunc tantum copula omissa sit, si in »— us« exeat praedicatum.

Cum summa fiducia Olsenus contendit copulam omissam esse

Heaut. 822 sq. *iam argentum ad eum deferes*
Quod ei pollicitus.

Sic habet Bemb.; rell. omnes: »es pollicitus«, quos Bentl. secutus est. Fleckeis. autem et Umpf.: »ei pollicitu's« - „qua tandem ratione?“ quaerit Olsenus. Nimirum idcirco, ni fallor, quod putant »es« in ultima »pollicitus« vocis latere, in libris Call. autem ab eo, qui hoc non intellegens copulam desiderabat, falso loco insertam esse, quod iam supra hic illic factum vidimus. Sic ergo recte Bembini auctoritatem reliquis anteposuerunt. Simul ex hoc potissimum loco Olsenus vel maxime putat apparere, qua iniuria circulus ille adreptus sit ut remedium unum atque primarium. „Nam“, inquit, „si »es« deesse nequiret, deberet id poni post »ei« cum reliquis libris, quia haec apud Terentium inveni exempla: Hec. v. 786 *quod mihi es pollicita tute ut serves.* Heaut. v. 329 *Tum quod illi argentum es pollicitus eadem hac inveniam via.*“ Sane his duobus locis »es« ante participium positum est; at, cum videa-

[1]) Quare miror, quod Olsenus etiam Heaut. 579 sq.
Clitipho, haec ego praecipio tibi?
Hominis frugi et temperantis functu's officium.
vv. doctos ex ultima »functus« vocis copulam immerito restituisse contendit.

mus ceteroquin constantia quadam[1]) ipsi participio copulam suffixam esse velut »pollicitus sum« Andr. 401, Phorm. 590, Hec. 402; »pollicitust« Andr. 527. 530, Heaut. 724; »pollicitast« Hec. 679; »pollicita sunt« Phorm. 703; »pollicitum esse« Eun. 308, num revera falso illi suspicati sunt post »pollicitus« copulam ponendam esse? An putare licet, quia, quod casu profecto factum est, utroque illo loco, ubi copula participio praemissa est, secundae personae forma exstat, singularem huic nescio quam vim innatam esse?

Sequuntur duo loci, qui difficiliores sunt, quod accedunt aliae offensiones. Primus est

Ad. 331 sq. *Nostrám vitam omnium, in quo nostrae spés opesque omnés sitae*
Erant? qui sine hac iurábat se unum núnquam victurúm diem.

Sic traditum est omnibus libris. Offensionem movet, quod copula sola ad novum versum transfertur, etsi sequitur gravius distinctionis signum. Quare iam Bentl., praeterquam quod in priore versu — quod ad nostram rem non pertinet — sic ordinavit verba: »Nostram omnium vitam«, ita scribendum esse censuit:

Nostrám vitam omnium, in quo nostrae spés opesque omnés sitae?
Qui sé sine hac iurábat unum núnquam victurúm diem?

Ne posterior versus »Erant« deleto ex iambico octonario fieret trochaicus septenarius, »se« ex tradita sede post »qui« adripuit. Fleck. autem, qui item copulam omisit, quia forte is, qui proxime sequitur, versus 333 et troch. septenarii et iamb. octonarii numeris respondet, vv. 332 et 333 trochaicos esse maluit. Sed iam nova exsistit offensio; etenim non magis usitatum est duos interponere troch. septenarios inter iamb. octonarios quam unum tantummodo, quod iam Bentleio non placuit, ita ut, etiamsi, si sic traditum esset, fortasse pateremur, tamen non probabile sit per coniecturam id efficere. Quod si haec vv. doctorum proposita accipere nolumus, quaeritur, nonne illa copulae collocatio ferri possit. Iam Conradtius [2]) id demonstrare conatus est ad hos potissimum locos nos adlegans: Heaut. 293 sq. *praeterea una ancillula | erat : ea texebat una* q. s.; ibid. 997 sq. *nam quam maxume huic vana haec suspitio | erit, tam facillume patris* q. s.; Ad. 382 sq. *Utrum studione id sibi habet an laudi putat | Fore, si id perdiderit gnatum?*; Hec. 98 sq. *Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi | Fore, ut ille hac via* q. s. — At tamen, quod iam pergit Conr.: „Schon diese drei (s. vier) Stellen schützen den Versanfang . . . . . hinreichend“, hoc non prorsus concesserim; nam non plane congruunt ea quae attulit exempla cum illo, in quo Bentl. aliique offenderunt. In primo enim »Erat« non copula est sed proprium verbum, in altero »tam — quam« particulis »erit« cum subsequentibus satis arte cohaeret; in tertio denique et quarto item non iam meram copulam habemus. Nihilo setius confido Conradtium recte de retinenda copula cogitasse; cf. etiam Hec. 459 sq. *Sane hercle homo voluptati obsequens | Fuit, dum vixit : et qui* q. s. Porro nonnunquam fit, ut aliae voculae a reliqua sententia versus fine avulsae in initio proximi ponantur. Conr. l. l. hos locos attulit: Heaut. 600 sq. *fuit quaedam anus Corinthia | Hic. huic drachumarum* q. s. Heaut. 933 sq. *Difficilem ostendes te esse et ignosces tamen | Post, et id ingratum.* Ad. 46 sq. *nati filii | Duo : inde ego* q. s.; ibid. 724 sq. *tu de psaltria me somnias | Agere : hoc peccatum* q. s. — Verum si accurate diiudicamus, praeter alterum locum haec quoque exempla non satis sunt apta comparationi; nam in tertio et quarto non adeo est tenuis vocula, quae in proximum versum translata est, et primum aperte corruptum est, ita ut Fleck. scribat: *fuit quaedam anus Corinthia: | Huice drach.* q. s. Sed addo haec exempla, quae melius quadrent: Ad. 322 sq. *oppido opportune te obtulisti mi obviam, | Era :: Quid est?* Eun. 57 sq. *Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita, | Ere : quae res in se* q. s., ubi »Ere« antecedente pronomine prorsus superfluum invadit; ibid. 130 sq. *mater mea illic mortuast | Nuper : eius frater* q. s. — Deinde dicendum est non multum in licentia eum esse progressum, qui solam copulam in initio versus ponat, postquam una cum nomine personae appellatae primum ei locum dedit velut Hec 620 sq. *postremo nos iam fabula | Sumus, Pamphile: 'senex atque anus'.* Quid quod poeta verba, quae non facile alia intercedente vocula in versu seiunguntur, fine versus dissolvere non

[1]) Semel invenitur »sum pollicitus« Andr. 613, ubi non sine aliqua vi copula participio praemissa est.
[2]) l. l. pag. 66 sq.

dubitat? cf. Eun. 74 sq. *quam queas | Minumo: si nequeas* q. s. et ibid. 568 sq. *forte fortuna domi | Erat quidam eunuchus* q. s. [1]). Denique haud infrequenter a novissima versus vocula et nonnunquam a tenui interiectione, quae insuper per elisionem cum antecedenti verbo coniuncta est, nova sententia incipitur. Sic: Ad. 261 sq. *lucrum : hui | Metuisti, si* q. s. Andr. 254 sq. *de patre? ah | Tantamne rem tam neglegenter agere!* et ibid. 469 sq. *iam scio : ah | Vix tandem sensi stolidus.* etc. Videas etiam hunc locum: Andr. 147 sq. *ille instat factum. Denique | Ita tum discedo* q. s. Personae mutatio accedit Eun. 185 sq. *sine te exorem :: Scilicet | Faciundumst, quod vis.* — Quae cum ita sint, putaverim in illa copulae collocatione nihil esse offensionis; et, si nihilominus quis aliquid saltem restare offensionis contendit, certe hoc 'aliquid' non tantum est, ut librorum concentu prorsus neglecto Terentio omissionis exemplum inculcemus eiusmodi, qualem et ipsi, qui h. l. copulam delere non dubitant, nusquam alias passi sunt. —

Iam ad alterum locum transeamus. Hec. 780 sq. traditum est praeter Bembinum omnibus libris:

Missam íram faciet : sín autemst ob eám rem iratus gnátus,
Quod peperit uxor clam, id levest.

Bemb.: »sin autem ob«. — Bentl. offendens, quod quartus prioris versus pes spondeo expletur, »sin itemst« proposuit. [2]) Kraussius sic maluit: »sin, ut est, ob eam rem iratus gnatust«, quam scripturam Fleck. in textum recepit. Sed, cum legamus Hec. 732 *Salve, Laches :: Credo édepol te non nil mirari, Bácchis,* nescio an iniuria vv. dd. in numeris versus offenderint. [3]) Immo omnia bene se habere existimo, dummodo copula eo loco, quo ll. Call. habent, retineatur. Bembini vero auctoritatem in hoc quidem versu non nimis curo; nam est tam neglegenter in hac parte scriptus, ut fidei, qua ceteroquin gaudeamus, ne vestigium quidem relictum sit; sane idem librarius, qui in paucis versibus haec commisit velut »dierat« pro »deierat« (v. 771), »iste metuunt« pro »istae metuont« (772), »facere queat uxor« pro »facere ut redeat uxor« (774), »alia et meretrices« pro »aliae meretrices« (776), »nunc« om. (778), »se« falso add. (779), »gntus« pro »gnatus« (780), »quo« pro »quod« (781), »mali« om. (782) etc., eum etiam copulae post »autem« omissae incusare non est religio. Perquam autem cupidus sum noscendi, quonam modo Olsenus, qui reapse copulam omisit, suum versum disposuerit:

Missam iram faciet :: sin autem ob eám rem iratus gnátus,

Utrum trochaeo »autem ob« iambici versus quartum pedem expleri velit, an de hiatu inter »autem« et »ob« cogitaverit, nescimus. Quod autem copula post »autem« addita est, videas quaeso ea, quae pag. XXXI protulimus. —

Recte autem fortasse copula deest

Eun. 178 *Labascit victus uno verbo, quam cito!* [4])

sed non ita, ut mente supplenda sit, sed ita, ut »victus« non indicativum sed participium intellegamus. Qui autem id putant contra simplicitatem Terentiani sermonis facere, conferant Heaut. 1024 sq.

Si unquam ullum fuit tempus, mater, cum ego voluptati tibi
Fuerim, dictus filius tuos vostra voluntate: obsecro. et

Ad. 439 sq. *si satis cerno, is est hercle: vah,*
Homo amicus nobis iam inde a puero: di boni [5]) et

Eun. 569 sq. *Erat quidam eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi,*
Neque is deductus etiam tum ad eam.

---

[1]) Sophocles, qui certe maiore diligentia quam Plauti et et Terentii versus suos composiut, vel in hexametro ad eam licentiam progressus est, ut non vereretur sic scribere:
Trach. 1009 sq. *ἥπται μου, τοτοτοῖ, ἥδ' αὖθ' ἕρπει. πόθεν ἔστ' ὦ*
πάντων Ἑλλάνων ἀδικώτατοι ἀνέρες, οὓς δή

[2]) Quae scriptura non satis verisimilis est, quod non bene coeat cum verbis »ob eam rem — quod peperit uxor clam«.

[3]) Ceterum conferas de hac re G. Herm., Elem. doctr. metr. pag. 150 et Conr. „De versuum Ter. struct." pag. 16 adnot. 4.

[4]) Fleck. cum Bentleio »victust«.

[5]) Speng. ad hunc locum: »homo« Apposition zu »is«; nicht »est« zu ergänzen.

Sic etiam Andr. 131 sq., 560 sqq., Eun. 747 etc. —
Similiter res se habere potest

Hec. 391 sq. *Ceterum de redducenda id facias, quod in rem sit tuam,*
Parturire eam nec gravidam esse ex te solus conscius.

Sic Umpf.; Fl. copulam desiderans ‚consciu's‘ scripsit; sed non opus esse ea videtur, dummodo ‚conscius‘ cum ‚facias‘ coniungamus, quod non pugnare cum Terentiana dictione demonstrant praemissa exempla. Etiam Bentl. copulam omisit neque debebat puncti notam post ‚tuam‘ inferre.

Ut illo loco Eun. 178 ‚quam cito‘ atque similiter

Hec. 60 sq. *Vel hic Pamphilus iurabat quotiens Bacchidi,*
Quam sancte, ut quivis . . . .

‚quotiens‘ et ‚quam sancte‘ quodammodo absolute et per exclamationem proferuntur, ita fortasse licet

Phorm. 45 sq. *Id illa univorsum abripiet, haud existumans*
Quanto labore partum.

‚quanto labore‘ sine ulla vi ad formandam enuntiationem positum esse statuere, ita ut non ‚sit‘ sed potius ‚esse‘ mente suppleamus oporteat, velut si non ‚quanto labore‘ sed ‚tanto l.‘ dictum sit. Paullo aliter Dziatzko iudicat, qui ad hunc locum sic adnotat: „Das an sich anstössige Fehlen der Copula ‚sit‘ wird hier dadurch gemildert, dass ‚Quanto labore partum‘ einem Ausrufe nahe kommt." — Similiter Olsenus hunc locum expedivit:

Ad. 394 *Tu quantusquantus nil nisi sapientia's.*

Sic cum Prisciano et Donato omnes ll., quos etiam Bentl. secutus est; nescio an frustra Fleck. et Umpf. ‚quantusquantu's‘ scripserint, nam ‚quantusquantus‘ quasi per appositionem cum ‚tu‘ cohaeret. [1])

Verum non ausim diiudicare de hoc loco:

Heaut. 219 *Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sententiam.*

Difficillimus est locus. Antecedunt (vv. 217. 218):

Mihi si unquam filius erit, ne ille facili me utetur patre:
Nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati locus:

Ἀνακόλουθον est et id perquam molestum. Fl. probante Umpfenbachio ita conatus est sententiae opitulari, ut ‚meust‘ scriberet, quae coniectura sine dubio habet, quod placeat; sed cum iam ex antecedentibus sententia ita expleatur oporteat: ‚non [me utetur], ut meust, qui‘, id mihi minus placet, nam vereor, ne contra latinitatem peccet haec verborum structura. Omnino dubium videtur, num recte h. l. de verbo subst. sive mente, ut Ols. existimat, sive calamo, ut Fleck. vult, supplendo cogitemus. Optime res se haberet, si v. 128, qui ad verba ‚facili — patre‘ explicanda factus est, omnino non adesset aut saltem non eo quo nunc exstat loco adesset. Quare longe maxime mihi arridet ea, quam Fr. Schoellius, praeceptor meus praeclarissimus, occasione oblata mecum communicavit, coniectura; is enim versum 218 post versum 219 collocandum censet, ita ut ‚non ut meus‘ intellegatur ‚non meo [patri] simili‘.

Alius locus, de quo hic agendum est, exstat

Eun. 273 *Qui dúm?* :: *Quia tristis es* :: *Nil quidem* :: *Ne sis, sed quid videtur*

Versus ratione ut ‚tristi's‘ pronuntietur flagitante iterum firmissimum habemus testimonium ‚es‘ verbi aphaeresis. Olsenus vero, qui eam unquam exstitisse negat, copulam haud cunctanter expellit, quod non fieri posse certissimum est; nam nec pronomine nec verbo prope inambulante, unde quaenam copulae persona supplenda sit cognoscas, ellipsis certe locum non habet. Ols. hoc Plauti exemplum ad comparationem vocat Amph. I, 1. 223 *Quia vaniloquus, vapulabis.* Hanc autem ut paterer comparationem, primum necesse esset Terentii non Plauti hoc esse exemplum, deinde praedicatum non in ‚— us‘ terminari, tertium non proxime sequi verbum, ex quo quae copulae persona omissa sit appareat; his condicionibus

[1]) Ceterum videas Cic. Cat. 2. 5, 11 Quae sanari poterunt, quacunque ratione sanabo; Liv. 41. 8, 10 liberos suos quibusquibus Romanis in eam condicionem, ut manumitterentur, mancipio dabant. — Usitatissimum vero esse hunc usum pronominum indefinitorum apud Tacitum inter omnes constat.

admissa comparatione, tamen etiam dubitarem illo Eunuchi loco expellere copulam, quae librorum concentu tueatur.

Nunc eo, credo, pervenimus, ut

Heaut. 82 *Si quid laboris est, nóllem : sed quid istúc malist?*

verb. subst. cum Bentleio delere summo iure haesitemus. Fl. et Wagnerus: *Si quid laborist,*[1]) *nollem:* coll. Rud. I, 3. 7 *Nam hoc mihi hau sit labori laborem hunc potiri.* Umpf. traditam scripturam retinuit. —

Ultimus locus, qui huc pertinet,

Heaut. 195 *Atque haec perinde sunt ut illius animus, qui ea possidet.*

Occasionem dat disputandi de usu Terentiano in enuntiationibus comparativis exhibito, si utriusque membri praedicatum verbo subst. efficitur. Etenim in AE versus sic traditus est, qualem supra laudavimus; (B)CDFP autem et Eugr. exh. »animus est, qui«, quod Umpf. recepit; Fl. et Wagn. scribunt »ut illiust animus, qui« secundum Cens. de die nat. 1. Cum cop. non plena syllaba adhibita post »— us« terminationem facillime intercidere potuerit, cavendum est ne cupidius statim Bembini auctoritatem sequamur. Quare ex ipsa Terentii consuetudine, qualis ceteroquin cognoscitur, auxilium ad diiudicandum appetendum est, atque haec de ea re statuenda sunt:

I. In enuntiatione secundaria omittitur verbum subst.

1) si eadem forma ponenda erat, quae exstat in primaria, velut

Hec. 312 *Itidem illae mulieres sunt ferme ut pueri levi sententia.*

Ad. 422 sq. *Nam id nobis tam flagitiumst quam illa, Demea,*
Non facere vobis, quae modo dixti.

cf. etiam Andr. 547, 720 etc.

2) si, cum idem est modus idemque tempus, differt persona, dummodo haec alia voce significetur, velut

Ad. 705 *Quom vir melior multo es quam ego,*

3) si, cum eadem est pers., differt tempus, dummodo hoc adverbio significetur, velut

Andr. 545 *Alium esse censes nunc me atque olim quom dabam?*

Heaut. 665 *Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollendo, Chremes!*

II. In utroque membro ponitur verbum subst.

1) si enuntiati structura in condiciones illas non convenit, velut

Andr. 245 *Adeon hominem esse invenustum aut infelicem quemquam, ut ego sum!*

Phorm. 171 *Quod si tibi res sit cum eo lenone quocum mihist, tum sentias.*

ibid. 581 sq. *Te mihi fidelem esse aeque atque egomet sum mihi*
Scibam:

cf. etiam Heaut. 265; Phorm. 530; Ad. 39. 801 etc.

2) si, cum differunt subiecta, enuntiatio secundaria ita in primariam interposita est, ut praedicato eius antecedat, velut

Eun. 527 *Thais, quam ego sum, maiusculast.*

Phorm. 808 *Ut propior illi, quam ego sum ac tu, homo nemost.*

Hec. 218 *Ideo quia, uti domi vos mi eritis, proinde ego ero fama foris.*

Quae cum ita sint, dubito an falso editores praeter Bentleium et Klotzium illo loco[2]) Heaut. 195 et »illiust animus« et »illius animust« scripserint; nam minime opus est copula, ita ut Bembini auctoritas ipsa usus Terentiani observatione confirmetur.

Iam ad finem perduxi materiam, quam quidem habui de ellipsis verbi subst. usu Terentiano, atque me eam non invita Minerva congessisse spero. Studui quam diligentissime

[1]) intell. »labori'st«.
[2]) quem sub I. 2) ad Andr. 705 adiungas quaeso.

omnia conferre exempla et quae ad ipsam quaestionem pertinerent et quae ad eam illustrandam idonea viderentur; quod autem eos locos velut

Eun. 417 *Iugularas hominem. quid ille?* :: *Mutus illico.* (scl. factus est)
ibid. 431 *Quid ille quaeso?* :: *Perditus.* (scl. factus est)
Heaut 269. *Hoc primum, ut nequid huius rerum ignores:* (scl. faciendum est),

ubi praeter verbum subst. aliae partes orationis omissae sunt, non respexi, non vereor ne vituperandus videar. Haec enim exempla et similia proferenda erunt, ubi universe de ellipsi instituetur quaestio. Non rarae quidem tales ellipses apud Terentium inveniuntur, ubi verba dicendi, faciendi et movendi omissa sunt, cuius licentiae adhibendae in vulgari sermone et in colloquio potissimum quam saepe occurrat occasio, non opus est monere; verbi subst. autem omissionem, si recte disputavi, non supra vulgarem modum vidimus esse admissam. Quin iam ab initio quoddam odium verbi subst. omissionis cognosci potest ex talibus exemplis, ubi illud non sine aliqua molestia positum est, velut

Heaut. 325 *Aut haec cum illis sunt habenda, aut illa cum his mittenda sunt.*
Eun. 549 *Numquis hic est? nemost. numquis hic me sequitur? nemo homost.*
Andr. 638 *Ubi opust: illic ubi nil opust, ibi verentur.*
Phorm. 266 sq. *Hic in noxiast, ille ad dicendam causam adest,*
Quom illest, hic praestost.

Cuius rei etiam multa possunt afferri exempla atque nonnulla ipse iam antea passim attuli; ceterum conferas quaeso quae Ritsch. disputavit „Plaut. Excurse“ Opusc. II pag. 614 sq. — Quod si mihi hoc contigit, ut in universum et vulgatam adhuc sententiam, qua ellipsis verbi subst. usus Terentianus in sat exiguos atque angustos fines concludatur, Olseno repugnante ratam et illam Olseni rationem, qua aphaeresin »es« verbi radicitus ex lingua latina expellendam censet, irritam esse demonstraverim, satis puto pro viribus meis me confecisse; sin autem in singulis hic illic erravi, difficultate rei — ita sperare quaeso liceat —

„ignoscendi dabitur peccatis locus“.

Appendix.

Liceat mihi in „mensa secunda“ pauca proponere, quae mihi in conscribenda commentatione occurrerunt, quamvis non pertineant ad eam rem, quam modo tractavi.

1.

Heaut. 988 sq. Fl. et Wagn. sine dubio falso sic distinguunt:

nunc filia
Postquamst inventa vera, inventast causa, qua te expellerent.

Quam non apta sententiae sit haec distinctio, praeter alia demonstrat Wagneri sat artificiosa interpretatio: „=Filia vera= im Gegensatz zu Clitipho, der dieser Darstellung gemäss blos vorgeblich ihr Sohn war.“ Immo =vera= nullo modo cum filia coniungi potest, nam quo modo veram quis potest invenire filiam, qui nunquam sustulerit falsam? Patet =vera= cum =causa= coniungendum esse; Terentium autem =vera causa= dicere pro =iusta causa=, docemur ex his locis:

And. 158 vera obiurgandi causa sit, si deneget:
Heaut. 336 vera causast.

2.

Eun. 479 Bentl. et Fl. ex libris Call. scribunt:

Ego illum eunuchum, si opus siet, vel sobrius.

=siet= plenior forma in hac versus sede ferri nequit.[1]) Bemb. habet SITOPUSSIT, T induxit corr. rec. — Nescio an hic vestigium lateat genuinae scripturae =si sit opus vel sóbrius= velut eiusdem fab. v. 223 *si sit opus, vel totum triduom?* Quantopere autem Terentius, si eandem profert sententiam, etiam constantiam quandam et in eligendis et collocandis verbis appetiverit, constat.

3.

Hec. 398 legitur:

Dicam abortum essé : scio nemini áliter suspectúm fore.

Dubito an hic accentus trochaici verbi =esse= in hac potissimum versus sede contra Terentianam artem pugnet; quare de corruptela quadem loci cogitaverim, cui quaenam medela sit afferenda incertum est. Schoellius olim mihi proposuit =Dicam abórtum ĕsse : scibo nemini a. s. f.=; ipse aliquamdiu cogitavi de tali versu :

Dicam abortum esse : ét scio nemini a. s. f.

=et= coniunctio hoc modo exhibita, ut confirmationem quandam inducat antecedentium verborum, bene quadrat ad Terentianum usum; cf. ex. gr.

Eun. 973 *Sed estne ille noster Parmeno? et certe ipsus est.*

---

[1]) Cf. Conradt „De versuum Ter. etc.“ pag. 26 sqq. et Engelbr. l. l. pag. 51 sq.

4.

Eun. 496 *Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.*

Fl. Bentlei sane rationi obsequens, qui »simia's« proposuerat, pro »similis es« scripsit »simiu's«. Si revera opus esset hac mutatione, non cum Olseno dicere liceret ob synaloepham ad missam hanc coniecturam tolerari nequire, sed nescio an ea speciosior sit quam verior; nam non satis mihi causae exstare videtur, ut librorum scripturam, quam etiam Prisc. bis clare agnoscit, respuamus. Bentl. quidem opposuerat: „magnum vero opprobrium! quasi non laudandum optandumque sit in famulo, ut domino similis sit, servus libero et ingenuo." Hoc recte sane in universum dictum est, sed cum dominus a milite paullo ante (v. 486) pauper atque miser nominatus esset, apparet hoc iudicium »domini similis es« ad illa verba recurrere; et si cui fatuum hoc dictum videatur, non video, quid accommodatius sit ineptae Thrasonis vaniloquentiae; quin etiam augetur ironia, cum parasitus his ineptiis auditis, ut iucunde faceret militi, cachinnum tolit, quasi salsa et faceta ille dixerit. Denique non est, cur Thraso servum domini imitatorem et adulatorem appelet; sic enim secundum Bentleium verba »domini simia's« (s. »domini simiu's«) interpretenda forent.


Erratum:

Pag. III adnot. 9) v. 6 non »Schoelii« sed »Schoellii« legendum est.










DEC 12 1902

